X.
DISSERTATIO
DE
CAUSSA ET ORIGINE UNIONIS
SEU FOEDERIS ELECTORALIS

PRÆSIDE

NICOLAO HIERONYMO GUNDLINGIO, JCt.
Serenissimo Borussiæ Regi à Consiliis Intimioribus &
Ecclesiasticis Juris Naturæ ac Gentium itemque Eloquentiæ atque
Antiquitatum Professore Ordinario,

defensa à

CAROLO WILHELMO de STANGEN,
EQUITE THUR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, 1720.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. *Quare de electorum origine ac numero eorumque definitione nihil dicatur.* §. II. *Caussa fœderis, seu unionis electoralis Pontificum Romanorum ferocia est.* §. III. *inque primis Joannis XXII. Character & ortus hujus Papæ. Vitia ejusdem: opiniones paradoxæ.* §. IV. *Italiæ dominatum affectat; Gibellinos oppugnat, cumque maxime Matthæum Galeatium; quem Ludovicus Bojus defendit.* §. V. *Hinc iræ Joannis XXII. qui Ludovicum hæreticum nominat.* §. VI. *Processus in Imperatorem hunc.* §. VII. *Obtentus vanus: jus confirmandi Imperatorem: cui obtentui primus ansam dedit Lotharius Saxo. Petitum Pontificis Paschalis I. tempore Ludovici Pii, ne sine suo consensu Imperatoris dignitatem aliquis acceptaret: a quo tamen statim recessit.* §. VIII. *Nec ausus est quisquam petere amplius tam insolita. Ottonum I. II. & III. auctoritas.* §. IX. *Leonis VIII. constitutio, seu pactum cum Ottone M. vulgo circumlatum suspectum, immo falsum. Potius is pepigit cum Joanne XII. de Pontifice sine suo consensu non eligendo: hocque pactum renovavit Leo VIII.* §. X. *Ottonis III. cum Gregorio V. pactio non extat. Thuani verisimilis conjectura, quomodo eligendi jus Imperatorem Romanum Germanis obvenerit. Imperium Romanum quid?* §. XI. *Imperatorum Romanorum & Italiæ Regum jus ex successione. An successio ad Ottonianum stemma restricta?* §. XII. *Dubia e Ditmaro Merseburgensi & Wippone de Henrico II. &*

Conrado Salico. §. XIII. *Langobardi post Ottonem III. alium Regem circumspiciunt, quam Germanorum. Idem faciunt post Henricum Sanctum.* §. XIV. *Unde conjectura, pactum Ottonis cum Romanis Italisque esse Commentitium. Cui conjecturæ & dubio satisfit.* §. XV. *Ipse Papa Nicolaus II. Regum Germaniæ jus perpetuum agnoscit.* §. XVI. *Quem perperam reprehendit Alexander II. dictu olim Anselmus Lucensis.* §. XVII. *Itali injuste secedere a Germanis conati sunt: quod probatur.* §. XVIII. *Argumentum stringens ab hæreditario Coloniensis Archi-Episcopi jure, ut esset Cancellarius Romanæ sedis. Quæ res originem Archicancellariatui Coloniensi in Italia dedit.* §. XIX. *Gregorii VII. conatus, ne regnum Germaniæ per successionem ullo modo deferretur, sed per liberrimam electionem.* §. XX. *Unde magna in imperio immutatio; impedita paullisper Henrici IV. victoriis.* §. XXI. *tandem vero post victum Henricum V. plene insecuta. Nam Lotharius Saxo primus fuit, Pontifici electionem suam legatis ac litteris significans: quod ostenditur. Quando liber de beneficiis scriptus?* §. XXII. *Propositum pontificis ambitiosum cum stabiliret electionem.* §. XXIII. *et si id dissimulabat.* §. XXIV. *inprimis cum Arnaldi assecla Pontificem redigere ad Apostolicam paupertatem cuperent. Eugenii III. sollicitudo. Conradus III. cur non audiverit Arnaldistas?* §. XXV. *Italorum & Romanorum ferocia castigata a Friderico Barbarossa. Hadriani IV. confessio.* §. XXVI. *Ejusdem imprudentia.* §. XXVII. *Friderici Ahenobarbi ira. Victoris III. & Alexandri III. discors in Pontificatum electio.* §. XXVIII. *Quare Fridericus succubuerit Pontifici?* §. XXIX. *Mora Pontificum in coronando ejus filio Henrico VI. Urbani III. pertinacia.* §. XXX. *Gregorius VIII. Henricum electum Romanorum Imperatorem primus appellat. Germania imperium Romanum dicta.* §. XXXI. *Regis Romanorum elogium: quo primum usus Henricus III.* §. XXXII. *utut rarissime. Henricus V. a patre Henrico IV. hoc titulo insignitus. S. Bernhardus Lotharium ad* PROPRIAM CORONAM *vindicandam stimulat: quæ erat Romana. Elogium Regis Romanorum perpetuum: quamvis Papa sibi jus examinandi reservaret, nec sine rogatione unctionem impertire vellet. Idque probatur.* § XXXIII. *Innocentius III. successionis jus iterum impugnat; Philippum Suevum repudiat plurium suffragiis electum; variis dialecticis ratiunculis usus.* §. XXXIV. *Quæ refelluntur: A Græcis nihil translatum ad Francos. Beneficium Romanæ sedi a Carolo M. præstitum.* §. XXXV. *Lotharius Innocentium II. confirmavit; neque hujus ille beneficio imperium accepit.* §. XXXVI. *Unde mirum, relictum Pontifici investituræ jus. Laus ab Innocentio III. tributa Lothario Regi Catholifico.* §. XXXVII. *Pontificum ingratus animus in ipsum ac Germaniæ Reges. Nihil ei ob coronationem juris in electione Regis Germaniæ. Illatio absona: Lotharius ejusque successores notam fecere Papæ electionem; ergo jus examinandi regiam personam competit Papæ. Marsilii Patavini observatio.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. *De consecrationis necessitate disputatio. Primum unctus Pipinus.* §. XXXIX. *Inane effugium, providendum esse Pontifici, ne hæreticum, Saracenum, prædonem eligant Germani.* §. XL. *Papæ audacia in repudiandis Regibus. Mores & axiomata ejusdem.* §. XLI. *Provocatio ad jus divinum. Inepta consecutio ab indigentia advocati ad examen personæ regiæ: ἀσύστατα in papæ assertis.* §. XLII. *Innocentius IV. Pontifex pessimus. Imperium externis principibus oblatum. Alexandri IV. prohibitio, ne Conradinus eligeretur.* §. XLIII. *Urbanus IV. de electione Richardi & Alphonsi arbitrium sibi sumit. Odium in Hohenstauffios.* §. XLIV. *Gregorius X. Electoribus minatur, ni Regem eligerent. Jus devolutionis insulsum. Cur Gregorius X. eligi Regem voluerit? Electorum litteræ ad Nicolaum III. itemque Ludovici Palatini. Saxonia Evangelica Hœpfnericommendatur & emendatur.* §. XLV. *Respondetur dubio ab hisce litteris petito. A. Pagius laudatus.* §. XLVI. *Rudolphus Habspurgicus confirmationem a Pontifice petit. Cur?* §. XLVII. *Bonifacii VIII. in Adolphum & Albertum ausus. Alberti Austriaci litteræ nihil præjudicii adferunt Imperatoribus.* §. XLVIII. *Argumentum ei juris in electione competere.* §. XLIX. *Papa μοναρχόμαχος.* §. L. *Henrici VII. fortitudo.* §. LI. *Unde potissimum furor Ioannis XXII. in Ludovicum Bavarum derivatur.* §. LII. *Quæstiones variæ de Jure regni & sedis Romanæ.* §. LIII. *Doctores multi pontificum ausus impugnant.* §. LIV. *Adelzreiterus Ludovicum Bojum præter spem & opinionem reprehendit. Qui defenditur.* §. LV. *Etiam a Benedicto XII.* §. LVI. *Quare interea idem Pontifex in gratiam cum eo non redierit?* §. LVII. *Ludovici Boji conjecturæ eventu comprobatæ. Gallorum machinationes.* §. LVIII. *Electores principes in iram versi. Constitutio imperii Renseensis de Septemuirorum juribus.* §. LIX. *a qua diversum fœdus Electorale, quod latino idiomate adscribitur.* §. LX. *Approbant istud sapientiores in curia Romana. Litteræ Electorum ad Benedictum XII. quæ a falsitatis suspicione liberantur. Tres aliæ dissertationes de hoc Electorum fœdere promittuntur.*

DE CAUSSA ET ORIGINE UNIONIS SEU FOEDERIS ELECTORALIS.

PROOEMIUM.

THema nostrum de Unione Electorali agit, uti vulgo vocatur. Probe enim alioquin tenemus, unionis voculam ad barbaras pertinere eoque, si latinius loquendum, fœderis, vel fraternitatis nomen fore substituendum. Nos de re ipsa solliciti id agemus, ut I. Caussa hujus fœderis. II. Auctores III. progressus IV. usus ejusque efficientia innotescant. Sed cum

in

in tractatum facile excrescere dissertatio posset, si universa atque singula excutere vellemus accurate, idcirco primum duntaxat, nempe caussam & originem hujus fœderis in præsenti ante oculos constituemus: reliqua alii loco & tempori reservaturi.

§. I.

ET plane vero pro supervacaneo habemus, disserere hoc loco de Electorum origine acnumero; cum aliunde constet, Friderici Barbarossæ ætate eos, qui recentiori ævo comparuere, septemviros primariam in electione Imperatoris auctoritatem esse indeptos. Saltem peculiari dissertatione perspicue hoc ostendit Præses in Gundlingianis de Francorum regno partim per electionem, partim successionem delato; quod dubitanter olim Conringius censebat adfirmandum. Quid autem sit Princeps Elector, ponimus, eosque, qui hoc nesciunt, a nostris Musis prorsus abesse jubemus.

§. II.

Caussam vero hujus fœderis Pontificis Romani ferociam dicimus, ejusque injustissimos ausus, Principibus Electoribus ereptum cupientis jus eligendi antiquum, ut suo omnia arbitrio subjicerentur, nemoque esset, qui non precarium imperium haberet, destituique pro lubitu posset ab eo, qui totius orbis dominatum variis artibus ac technis adfectabat.

§. III.

Qui omnium impudentissimæ ad talem tyrannidem adspiraverat, Joannes XXII. fuit, Jacobus de Cadurco nominatus antea, de quo in vulgus invaluit, eum sutoris veteramentarii filium fuisse, aut saltem obscurissime natum. Cui sententiæ etsi calculum non addimus, Alberti Argentinensis fidem secuti, utpote de militari progenie Joannem satum adseverantis; neutiquam tamen arbitramur negandum, eum hominem extitisse obstinatissimi ingenii, ac metaphysicis meditationibus deditum id sæpe egisse, ut nova dogmata (*) procuderet omnesque ἑτεροδοξίας reos pronunciaret, qui fæculentæ mentis commenta non

(*) Franciscani nimirum apertis eum testimoniis convicere, quod veteribus Ecclesiæ placitis contrarias doctrinas induxerit, Nicolai III. Decretalem revocando, *Exiit qui seminat*, novumque ad *Conditorem* substituendo; præcipiens omnibus, ne quis Christum ejusque discipulos omni destitutos proprietate crederet, contra euntibus pessimæ doctrinæ labem affricando: ut taceam, quæ de visione DEI idem disputaverit magno animorum motu, confutatus propterea a Doctoribus Parisiensibus, exacte id ostendentibus *Bulæo* Hist. Academiæ Parisiensis Tom. IV. p. 225. seq. ac *Launoio* Hist. Navarr. Tom. I. p. 61.

non basiarent illico; pallidus de cetero, statura & voce pusillus, vehementissimaque cupidine dissentientes atque omni acerbitate ad extremum persequens. Quod sane diffiteri non potuit doctissimus Stephanus Baluzius varia ceteroquin ad Joannis laudem in notis ad vitas Paparum Avenionensium p. 691. seq. colligens, quæ non repetimus.

§. IV.

Hic igitur homo vafer, simulatque opiniosus dissidio Friderici Pulchri Austriaci, & Ludovici Boji stimulatus, opportunum adesse tempus existimabat, quo solitariam sibi auctoritatem in Italiæ regno arrogando, Gibellinorum partes funditus everteret. Hinc inficete admodum finxit, se vacante regni solio merito existimari vicarium Imperatorem; neminemque pro legitimo habendum domino, cujus electionem non approbasset Pontifex. Quod cum gravissime displiceret Matthæo Vicecomiti Mediolanensi Gibellino isque Ludovici Boji auctoritate vicarium sese in Langobardia gereret, fremuit Joannes atque hæreseos ei notam impegit, quasi negaret Matthæus post mortem renasci humanorum corporum cineres favillasque; eo ad extremum deveniens, ut non solum a communione ecclesiæ separaret Galeatium; verum etiam armis Roberti Siculi ac fœderatorum defuncti filios dejiciendos de patriis possessionibus ac fortunis satageret. Quibus conatibus sicuti merito obviam ivit Ludovicus Rex atque electus Imperator Mediolanum per suos legatos ac Gibellinorum copias ab obsidione liberans; ita fieri aliter vix potuit, quam ut Cadurcensis iste denuo excandescens de ultione in Cæsarem cum impetu effundenda diligentissime cogitaret.

§. V.

Eum in finem non solum Austriacos Principes in Imperatorem sollicitavit, verum etiam novis inventis operam dedit: causatus inter alia, sibi indagandi jus esse, dignus ne sit huic honori initiandus, an forte indignus, & ad evertendam rempublicam, ecclesiæque salutem convellendam natus potius factusque. Et Bojum vero ejus farinæ Principem videri, non orthodoxum, Matthæo Galeatio hæretico addictum, cui proinde obstruenda sit ad imperii dignitatem via: suffragia Principum Electorum majora nihil hic ponderis habere: penes se esse facultatem ungendi ac coronandi: hæretico vero manus imponi à summo Pontifice neutiquam posse; quamvis electo nullum suffragium desit, isque a primoribus principibus universis ac singulis Rex Francofurti cooptatus, atque Aquisgranensi in civitate sacro unguento sit illitus.

§. VI.

De facti veritate nemo dubitabit, qui annales ejus temporis diligenti studio evolvet, ac processus Joannis XXII. uti barbare vocabat, in Ludovicum

Imperatorem ab Edmundo Marteneo nuperrime publici juris factos cum cura lectitabit. Tametsi enim Bzovius, Baluzius, Herwartus aliique nonnulla & plurima hac de re sparsim edidere; fecit tamen nunc eruditus Monachus, ut universa conjunctim & majori instructu curiosis harum rerum spectatoribus exhibeantur. Ac patet exinde, aliisque historiarum monumentis, nihil pensi habuisse iratum Pontificem, quidquid etiam a legatis imperatoriis in contrarium dissereretur; sed inaudita potius audacia jussisse, ut solio illico decederet Rex improbus ac Romanæ sese sedi divoque Petro modeste submitteret; laturus alioquin ecclesiæ severissimas pœnas, ipsumque excommunicationis fulmen experturus, ni infra statutum tempus, quod trium primo mensium erat, quibus binos ex abundanti sese addidisse Romanus gloriabatur sacerdos, obsequium præstaret, ac resipiscentiæ signa non fucata sibi suisque fratribus Cardinalibus ostenderet.

§. VII.

Sæpe vero mecum reputavi, qua excusatione uti potuerit hic Pontifex superbissime sese gerens & ad omnia leniora consilia aures obturans; donec tandem intelligerem a temporibus Lotharii Saxonis id, quicquid est inficeti, videri arcessendum. Etenim ante illam ætatem non tam Imperatores electionem, aut imperii sui legitimum initium Romano Præsuli significabant, multo minus ejus consensum expetebant; sed Italia potius atque Pontifices diligenter vigilabant & inquirebant, quis a Teutoniæ proceribus in solium esset evectus, ut se suaque iis quantocius commendarent, & de summa imperii dignitate, inter varia cultus atque observantiæ genera, nove electo gratularentur. Etsi namque sub Carolingis jam Paschalis I. flagitabat temere, ut ne sine Episcopi Romani consensu summam imperii acciperet Lotharius, Ludovici Pii filius; cognitum tamen est, eum statim ab hisce ausis abstinuisse, Lothariumque ab Italiæ oris secedere volentem honorificentissimis verbis invitasse, ut ad Romanam civitatem contenderet, a se solenni cerimonia inaugurandus. Saltem id annales ab Odilone Cluniacensi Eginharto adscripti clare produnt ad annum IↃCCCCXXIII. *Lotharius vero cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia properaret, rogante Paschale Papa Romam venit, & honorifice ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Junio ad Imperatorem venit.*

§. VIII.

Ab eo tempore nemo Pontificum ausus est petere tam insolita: quin post varias mutationes Otto Magnus fidelitatis jurandum a Pontifice Joanne XII. accepit, idque violantem de Pontificatu dejecit; prorsus ac fecissent Carolingici Impe-

Imperatores, auctoritatem suam nunquam & nusquam negligentes, si ad similem audaciam processissent Romani sacerdotes: de quibus præclara collegit Stephanus Baluzius in notis ad Agobrandum p. 123. Cumque sub Ottone II. qui ob Francicos & Lotharingicos tumultus non statim Italiam invisebat, cristas adtollerint Romani, in ordinem iterum coacti sunt, multo addictius deinde post Cincii & Crescentii superbiam infractam, ab Ottone III. regnati. Et hic vero optandum utique, ut Ottonis III. cum Pontifice Gregorio V. pactum superesset, cujus ad unum fere omnes mentionem injiciunt, nullus autem vel jureconsultorum vel historicorum in medium adduxit: utut in concilio sacro Romæ a. 996. congregato tale quid in vulgus manasse scribunt fere universi.

§. IX.

Cujus rei veritate etsi neutiquam indigere Germanos adseverant nonnulli, Leonis VIII. constitutionem & pactum cum Ottone M. crepantes, quo tum huic, tum ejus successoribus in perpetuum permiserit facultatem eligendi Pontificem Romanum, & investituras Episcopis tribuendi; vereor tamen, ne finem obtineant suum ita rationes subducentes. Id quidem indubium est, Theodoricum Niemium & ante eum Gratianum celebris decreti architectum, ac Goldastum in variis voluminibus; & ipsum denique Petrum de Marca in libro de concordia sacerdotii & regni nonnihil auctoritatis Leoninæ constitutioni tribuere; sed vix tamen horum adserta extra dubitationis aleam posita sunt: inprimis postquam Antonius Pagius Rom. IV. Criticæ p. 8. n. 7. tam varia obvertit dictæ chartæ, ut mirum videatur, Viros historiæ & criticæ artis peritos ejus generis næniis fidem potuisse habere. Unde firmiter concludendum, Ottonem M. si quid pepigit, pepigisse sane cum Joanne XII. de Pontifice non eligendo sine Imperatoris consensu. Legitur quippe, Benedictum V. Pontificem Leoni VIII. oppositum, quem Hamburgi obiisse notum est, illam dispositionem abolere sategisse: hancque iterum a Leone VIII. in integrum esse restitutam. Id Baronius & Pagius non negant, sed facile nobis concedunt & largiuntur. Inde vero atque hoc ex fonte haud dubie traditio defluxit, Leonem illius peregrinæ & paradoxæ constitutionis, ab homine otioso & imperito confectæ, auctorem extitisse. Qua fictione opus sane non fuit, cum aliunde innotescat, Ottonem M. non minori auctoritate Romæ polluisse, quam Berengarios, sed qui summum imperium tam in Italia, quam imperio Romano certissime exercuere, latius id probante Muratorio in observationibus suis adversus illustrem Fontaninum.

§. X.

Quare amplius nihil restat, quam ut indagemus, an, quod Ottoni III. & Gregorio V. adscribitur pactum de eligendo a Germanis Imperatore atque Italiæ Rege, sit veritate consonum, αὐτόγραφον licet non extet, neque inveniatur

 usquam?

usquam? Et fateor omnium verisimillime judicasse I. A. Thuanum, quomodo ejus generis fœdus potuerit coalescere. *Translatum autem*, inquit lib. II. historiarum initio, *ad Germanos imperium fuit ab Ottone I. Henrici Aucupis filio mansitque in ejus familia usque ad Ottonem III. Nepotem, qui veritus ne imperium a patre & avo in Germania firmatum, ad Italos, aut etiam Græcos transferretur, legem tulit, qua scitum est, licere solis Germanis Principibus Imperatorem eligere.* Verum tamen ea ratione revera fuisse conventum, nondum est ad liquidum perductum. Unde Muratorius iterum alia argumenta conquirit, unde Ottonis III. summam potestatem in Romano imperio tueatur, quod inprimis exarchatu, & ducatu Romano continebatur, superiore Italiæ parte Longobardici regni titulo superbiente, quod eundem Ottonem III. summa cum auctoritate tenuisse indubium est.

§. XI.

Duntaxat quæritur, an successoribus idem jus, eademve fuerit potestas? Et negare non debet, Imperatores Romanos atque Italiæ Reges hæreditario jure imperasse; idque circo ad posteros similem auctoritatem propagasse. Quod extremum ipsi non diffitentur Pontificis Romani assecla; etsi negant REGNO GERMANIAE jus succedendi esse datum æque: quin immo adfirmant vicissim, solam Caroli progeniem, Ottonumque stemma ejusmodi prærogativo honore fuisse ornatum. Ex quo consequi putant, ceteros, qui tali origine essent destituti, nove debuisse eligi, electosque reapse.

§. XII.

Ac putavi aliquando, gratis id dici, nec speciem habere ullam, quam sua prætexerent Romanenses opinationi. Verum tamen aliter sentire cœpi, cum Chronicon Hildesiense evoluerim, cumque vitam Conradi Salicia Wippone conscriptam perlustrarem. Uterque enim electionis mentionem faciunt, quando de inauguratione Romana Henrici II. & Conradi verba faciunt. Ita enim anonymus Hildesiensis ad a. 1014. de Henrico Sancto: *Natalem Domini Rex Papiæ celebravit. Inde comitatu regali Romam pergens, imperialis coronæ diadema a Sancti Petrivicario Benedicto XVI. Kalendas Martias cum* GENERALI ELECTIONE *suscepit.* Wipponis autem verba hæc sunt notatu digna: *Igitur Rex Chuonradus Romam ingressus, eodem anno ut supra, id est, a nativitate Salvatoris M. XXVII. indictione decima a Papa Ioanne & universis Romanis regio honore mirifice receptus est: & in die sancto Paschæ, qui eo anno VII. Kalendas Aprilis terminabatur, a Romanis ad Imperatorem* ELECTUS *imperialem Benedictionem a Papa suscepit.*

§. XIII.

De Longobardis vero constat, eos post Ottonis III. obitum ad Ardoinum

Eporediæ

Eporediæ Marchionem deflexisse, ipsi Henrico II. insidias struentes, ac sæpe rebelles. Deinde neminem latet, post Henricum II. eosdem Regem Galliæ Robertum sollicitasse, ut vel ipse, vel, si dubitaret Pater, filius ejus Hugo Italiæ sceptra capesseret; eoque repudiante Guilielmum Aquitaniæ Ducem adiisse, precantes, ut itidem vel ipse imperaret, vel gnatum sibi Regem daret, evehendum forte ad Romani imperii culmen aliquando. Certa hæc sunt, atque illico ex epistolis Fulberti Carnutensis, Giraldo Aurelianesi, Ademaro Cabenensi, & Chronico MS. Petaviano ac Thuaneo comprobatu facilia: utut Wippo in gloriam Conradi II. intentus nihil hac de re memoræ prodit, præterquam quod a Papiensibus, Henrico II. defuncto, palatium regale adfirmet destructum.

§. XIV.

Unde conjicere liceret ferme pactum Ottonis III. commentitiis esse accensendum, ac probabile omnino, Thuanum, aliosque cum eo solum probasse, conflari hujusmodi fœdus potuisse, revera autem conflatum esse, a veritate prorsus abludere. Sed salva res est. Ne enim dicam eligendi vocabulum ambiguæ significationis videri, atque inaugurationem sæpe significare; fatebor sane, affectasse hoc Romanæ civitatis incolas cum Præsule suo; affirmantes non sine colore: fas esse, ut, quod olim Ottonibus eorumque successoribus promissum, solenni modo repeteretur, inprimis cum successio quoque a prima electione dependeat, istaque nihil aliud, quam repetita electio videatur. Quem obtentum utique effecisse existimo, ut Reges Germaniæ permitterent Romanis electionis e primo fœdere oriundæ repetitionem; ut qui nondum eo tempore audebant, repudiare cooptatos a Teutonibus Dominos, sed summa animorum conspiratione & Henricum II. & Conradum Salicum & Henricum III. atque filium ejus Henricum IV. agnoscentes sponte sua post Germanorum electionem ungebant.

§ XV.

In qua sententia Nicolai II. decretum amplius me confirmat, quod de Romani Pontificis electione in vulgus edidit, quo principale judicium ille in Cardinales transscripsit. Meretur res, ut e Chronographo Virdunensi adscribantur tam celebris decreti memorabilia verba: *Eligunt autem* (Cardinales) *de ipsius ecclesiæ gremio, si repertus fuerit idoneus, &, si de ipso non invenitur, ex alia assumatur salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui inpræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator DEO concedente* SPERATUR, *sicut jam sibi concessimus &* SUCCESSORUM *illius, qui ab hac Apostolica sede* PERSONALITER *hoc jus* IMPETRAVERINT. Unde infero, nihil sic decessisse optimatibus Teutoniæ, utpote quorum principales in electione partes manebant; sicuti Pontificis erat Romanorumque, sequi eorum judicium atque approbare,

quod fecerunt Germani, non autem improbare, prorsus atque idem voluit Nicolaus II. ut Cardinalibus in Electione *clerus præberet adsensum, & popularis favor adtolleret applausum*, quemadmodum Petrus Damiani lib. I. ep. XX. rem totam exprimit. Eo pacto, non alia ratione vocabulum impetrandi exponendum est, maxime cum Germanici Reges hæreditarium jus non ex vano jactaverint semper, sicut ipse Paulus Bernriedensis, Pontificiæ alioquin aulæ mancipium, diffiteri neutiquam potuit in vita Gregorii VII. cap. 6. Estque proin Decreti sensus: Papam cum suis approbaturum electionem Teutonicorum, Regibusque Germaniæ non denegaturum unctionem, quamprimum eam petierint.

§. XVI.

Utut vero Anselmus Lucensis, qui postea Alexandri II. nomine inclaruit, Nicolaum II. eam ob caussam reprehendit, quod Teutonibus tantum potestatis indulserit; non sunt tamen hujus hominis querimoniæ tanti faciendæ, ut propterea peccasse censendus sit Nicolaus, tribuendo Germanis, quod diu ad eorum jus potestatemque pertinuerat. Potius patefit, non ex vero eum, sed affectu & ira commotum talia lib. II. contra Wigbertum ejusque sequaces p. 221. literis consignasse, quod Henrici IV. mater Cadaloum Parmensem episcopum ei prætulerit, ejusque consiliarius Wigbertus e Constitutione Nicolai II. imperatorium jus defenderit, videlicet, ut penes Reges atque Imperatores sit, vel admittere a Cardinalibus, clero & populo electum Papam, vel destituere eundem, si quam caussam habeant, suo judicio sat gravem. Saltem ipse Alexander II. demum veri Pontificis nomen tuitus est, cum Teutonici, inque primis Henricus IV. in Osboriensi synodo ejus electionem comprobantes Cadaloum abiecissent, referente hoc Leone Ostiensi, Cassinensis Chronici primario auctore: ut Hildebrandum, seu Gregorium VII. taceam, qui sine consensu ejusdem Regis Pontificis auctoritate uti noluit, perspicue id prodente Lamberto Schaffnaburgensi ad a. 1072.

§. XVII.

Jam cum Romani eorumque Antistes summus necesse habuerint, se suaque submittendi Teutonicorum Regum judicio, quanto magis id erit adfirmandum de Longobardis? Tametsi enim non nego, ad Ardoinum eos summam rerum deferre cogitasse, cum Otto III. excederet e vita, itemque cum Henricus II ad plures abiret, in Gallia eosdem Aquitania Regem quæsivisse: sat tamen scio, Adelboldum *in vita Henrici II.* propterea Italos cæcos ac surdos appellasse, Heribertum Mediolanensem Archimystam vero eosdem datæ fidei, & pacti conventi admonuisse: ac Wilhelmum Aquitanorum Principem illos e contrario doli atque perfidiæ insimulasse, nec Robertum Gallorum Regem oblata sibi filioque Hugoni Magno sceptra acceptare ausum. Prius Arnulphus Mediolanensis probat,

bat, secundum literæ Wilhelmi & Meginfredi, Marchionis Eporediæ, firmant, postremum Fulco Andecavorum Comes *epist. 15.* inter Fulbertinas testatur, quas eruditus Bellius in *historia comitum Pictaviæ & Ducum Aquitaniæ* in probationibus p. m. 352. seq. una cum aliis documentis fideliter in medium tulit. Unde nullo negotio deprehenditur, quare Henricus III. Conradi II. seu Salici filius, ita in Italia exarchatuque & ducatu Romano se gesserit, ut hæreditarium jus allegaret, & antecessorum se vestigiis insistere sine circumitione profideretur. Cujus simulatque Patris diplomata luculenter indicant, Imperatores non tantum ecclesiæ Romanæ advocatos, verum etiam imperii Romani atque Longobardici regni veros possessores ac dominos legitimos fuisse.

§. XVIII.

Accedit aliud singulare, nec omnibus cognitum argumentum, nempe hoc tempore & anno quidem CIↃXLIX. a Leone IX. Pontifice Hermanno COLONIENSIUM summo Antistiti munus Cancellarii Romanæ sedis EIUSQUE SUCCESSORIBUS esse datum. Narrat hoc Wibertus Lib. II. cap. III. in vita Leonis IX. testis αὐτόπτης sequenti ratione: *Dedit ei* (Leo IX.) *officium* CANCELLARII *sanctæ Romanæ sedis* EIUSQUUE SUCCESSORIBUS, *tribuens illi ecclesiam S. Ioannis ante portam latinam.* Neutiquam igitur hæc dignitas personalis fuit, sed omnibus Archiepiscopis Coloniensis ecclesiæ communis; eaque confirmata Annoni Hermanni sucessori. Unde titulo hoc pluribus atque in diversis diplomatibus dicti Archiepiscopi sunt usi. Idque simul indicio est, Romanum imperium ista ætate cum Germanorum regno indivulso nexu jam fuisse copulatum: alioquin enim ratio vix suppeteret, quare omnes Coloniensis Præsules esse debuissent Romanæ sedis Cancellarii, nisi aliqua inter Romanum imperium & Rempublicam Germanicam intercessisset conjunctio. Atque inde forte alio loco repetemus *Archi-Cancellariatus* in Italia, qui penes Coloniensis est, originem, Friderici Barbarossæ ævo omnibus successoribus peculiari privilegio stabiliti.

§. XIX.

Quæ cum ita sint juvat nunc indagare, quomodo infracta sit quodammodo imperii majestas. Ac notum est, egisse Gregorium VII. omni molimine, ut regnum Germanicum per *solam* electionem deferretur. Etsi namque jam diu receptum erat, ut tam ecclesiastici, quam ceteri Teutoniæ proceres eligerent Regum suorum filios & nepotes, & agnatos sæpe; non cessavit tamen Gregorii VII. *inquietus* animus, donec meræ electionis formam, hoc est, quilibet, præterita familia regnatrice, in solium evehi posset, persuaderet Alemanniæ Principibus, quod Brunonis bellum Saxonicum depingentis verbis exprimemus, ut qui ipse cum Episcopo Constantiensi conventui Forcheimensi intererat:

erat: *Hoc etiam*, inquit, *ibi consensu communi comprobatum*, ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATE *est corroboratum, ut regia potestas nulli per hæreditatem, sicut ante fuit* CONSUETUDO, *cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset, non tam per electionem spontaneam, quam per successionis lineam, Rex proveniret: si vero non esset dignus Regis filius, vel si nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus.* A quo non solum non dissentit Paulus Bernriedensis; verum etiam de Rudolpho Suevo Anti-Cæsare magis peculiaria adfert in vita Gregorii VII. p. 214. *Eique* (Rudolpho) *se debito fidelitatis sacramento subjecerunt: qui ubique regnum non ut proprium, sed pro dispositione sibi creditum reputans, omne* HAEREDITARIUM IUS *in eo repudiante, & vel* FILIUM *suum se adoptaturum fore penitus abnegavit, justissime in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus, libere, non magis filium ejus, quam alium eligerent, nisi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum invenissent.*

§. XX.

Quo ipso sicuti magna in regno immutatio facta, ita Pontificis auctoritas valde crevit; atque altius sane sublata fuisset, nisi victoriæ Henrici IV. aliquando ejus consilia sufflaminassent. Saltem Conradus & Henricus filii ad morem priorem velut hæreditario jure in solium conscenderunt. Sed hisce vero in Patrem, concitatis, & posteriori, nempe Henrico V. cum Saxonibus collisio, evenit tandem, ut Paschalis & Calixtus II. non solum eum ab ecclesiæ communione removerent; verum enim post prælium ad sylvam Catulanam commissum, extremus ita eum perterrefaceret, ut, investiendi jure amisso, brevi post improlis diem suum obiret, Lothario hosti, qui de nova Reipublicæ forma introducenda consilia cum legatis pontificiis frequenter agitabat, regnum relinquens eligentium numerosis suffragiis delatum.

§. XXI.

Is vero inprimis operam dedit, ut quam maxime placeret Pontifici, cumque hic antea obstrictus esset, ut electionem suam Regi denunciari curaret, ejusque consensum & confirmationem decenti ratione expeteret; tum certe immutata apparebant omnia; nec tam Papa Romanus, quam futurus Imperator hunc illico de suo fastigio ac nova dignitate certiorem reddebat. Vix enim occurrit in vetustis annalibus ante Lotharii ætatem exemplum, unde constet, Reges Teutoniæ præsuli Romano vel suam electionem solenni ratione indicasse, vel ad id fuisse more, aut lege obligatos. Lotharium vero id fecisse, utique Dodechini, qui Abbas erat S. Dysibodi, testimonio liquet: *Legati*, inquit; *pro confirmando Rege Romam mittuntur, Gerhardus Cardinalis Cameracensis & Virdunensis Episcopi.* Qui locus Præsidem commovit, ut *librum de beneficiis* ab illustri

Tho-

Thomasio vulgatum rarissimum alioquin, paucisque cognitum ad Lotharii ætatem referret. In eo quippe sequentia occurrunt: *Rex, quem eligunt, Teutonici, cum Romam vadit ordinari, secum ibunt de jure sex Principes, qui primi sunt in ejus electione, ut pateat Apostolico* REGIS JUSTA ELECTIO. Existimavit Marquardus Freherus, librum de beneficiis ad Saxonicorum Imperatorum tempora esse referendum in commentario ad constitutionem Conradi Salici, quam is perperam pro fœtu Caroli Crassi habuit, emendatus propterea a *Schiltero* & *I. C. Schurzfleischio* peculiari hac de re dissertatione. In quo sane vix erat Marquardus, si Lotharium Saxonem intelligat. Nam neque sub Ottonibus, neque Henrico S. neque Francicis Regibus de justa Regis electione Apostolicus cognoscebat; sed hi potius de ejus electione dijudicanda arbitrium sibi ex merito sumebant. At cum Lotharius inciperet regnare, Rex catholicus & pontificiæ sedi devotissimus, mos hic invaluit, ut Papæ confirmatio, seu approbatio quæreretur. Prima quidem hujus rei stamina in Rudolphi Reinfeldensis electione inveniuntur: qui a Synodo Romana confirmari petiit, Paulo Bernriedensi id non solum adfirmante, verum etiam ipsis Rudolphi literis comprobantibus, quas cum Gregorianis in collectione conciliorum Labbei & Cossartii esse editas perioribus constat. Cujus vestigiis quum insisterent Lotharius, Conradus III. & Fridericus Babarossa, viam sibi ad majora aucupanda paratam inveniet astutissimus Petri vicarius.

§. XXII.

Neque enim is negabat, Teutonicis competere jus eligendi Regis & futuri Imperatoris: potius is summopere flagitabat, ut vanesceret successio, & ad electionem liberrimam rediret res tota. Eo quippe pacto non solum interregnis locus erat; verum etiam conjectura capiebatur haud vana, Pontificis aliquando inter dissidentes, ac de imperio certantes Principes fore arbitrium: cum is interea nulli Regum suam electionem, ut olim, significaret amplius, sed vel secure expectaret, donec ab electo Rege emitterentur *legati obedientiæ*, vel etiam liberior sibi ob unctionem expeditam examinandi Regis personam facultas offerretur.

§. XXIII.

Id certum, non illico ungues suos ostentasse Pontifices, quidve inde in præjudicium eligentium Principum consequeretur, enuntiasse: immo dissimulabant isti sedulo, quæ machinabantur, usque dum occasio esset amplificandi auctoritatem suam vimque imperii, ac Præsules tandem dominarentur ambitiosi & dialectici, in quibus principem sibi locum vindicabat laboriosissimus Innocentius III. de quo mox adferentur plura.

§. XXIV.

Neque enim silentio præteriri debet, ipsos Romanos antistiti suo sub Conrado III. multum negotii facessiuisse, affectantes, Arnaldo concitore, veterem rempublicam, consules, senatum: nil relicturi Papæ, nisi oblationes & quæ sacræ functioni sunt annexa. Nec dubito, quin ad finem Arnaldi adseclæ fuissent perventuri, si Rex Conradus eorum petitis velificasset, ad quem litteras dedere Ottoni Frisingensi recitatas. Sed obstitit S. Bernhardi auctoritas, quam posthabere non poterat Conradus ejus commendatione Teutoniæ diadema adeptus; cumque jam Itali eum venerarentur, nec Burgundi ejus imperium respuerent, spes erat, nec Romani aliquando Imperatoris elogium defuturum: quamlibet observaverim; Eugenium III. in Franciam digredi maluisse, cum nulla sibi in urbe securitas constaret, quam confugere ad Germanos, quibus reddere jura sua non solum detrectabat, verum etiam omnem occasionem devitabat, ne vel minima iis de recuperanda investiendi facultate cogitatio injiceretur: Conrado interea in Oriente cum copiis suis tabescente, ac Pontifice in Regis absentia Treviros Metimque excurrente, usque dum Roberti utriusque Siciliæ Regis auxilio Romanos rebelles expugnaret, pacemque cum iis sub finem Pontificatus componeret.

§. XXV.

Ex quo factum, ut, dum Conradus extra Germaniæ fines agens, nec Italiam, nec Romanam civitatem inviseret, utraque gens, Longobardica puta, & Romana cristas tolleret, Friderico Barbarossæ patriorum jurium tenacissimo Principi intempestive repugnando. Notum quippe est, quam is castigaverit Mediolanenses Sicherium legatum suum male habentes; nec latet, quanta libertate Romanos reprehenderit, in eos exprobrando iis summam audaciam, qua infatuati electionis sibi jus adserebant, suo sine consensu neutiquam coronandum somniantes Imperatorem. Nolo ex Ottone Frisingensi & Radevico adscribere, quæ huc pertinent, nimis enim nota sunt, ac vulgaria certe. Hoc afferam, ipsum Hadrianum IV. Friderico insinuasse, futurum, ut magis sit perspicue cogniturus *refractarios Romanorum animos.* In hoc enim Pontifex omnino jam consentiebat Imperatori, populo Romano nullum jus esse suffragii, si ipse approbet electum a Teutonibus in Italiam ductum. Quin timebat Hadrianus, ne iidem cives ad ulteriora conniterentur, & quemadmodum Eugenii III. ætate factum, veteris reipublicæ formam ànimo complexi turbas darent denuo. Inde usu venit, ut Fridericus I. Imperator & Italis & Germanis contradicendi facultatem negaret, eorumque jus eligendi pro nihilo duceret, Langobardos & Romanos ad victricia Ottonum arma & inita cum Germaniæ Regibus fœdera revocans. Dubitantes hac de veritate Guntheri Ligurinus con-

convincat, simulatque Radevicus emphatica Friderici verba referens in viam reducat.

§. XXVI.

Verum tamen, utut Hadrianus, cum inter varia solennia ungeret Fridericum Ahenobarbum, infestis Romanorum ausibus neutiquam favebat; tamen ex post facto apparuit, qualis is esset & quantus, quidve consilii interea intra Romanorum Præsulum pectora latitasset. Utique enim hoc recensendum loco est, quas litteras ille ad Imperatorem dederit, cum hic in pejorem partem acciperet pacem cum Wilhelmo Siculo se inconsulto initam, eoque prohiberet, ne quis collationem beneficiorum a Pontifice expeteret, aut ulla de caussa ad curiam Romanam sese conferret. *Hinc enim debes*, inquit, *gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter, & quam jucunde alio anno mater tua sacrosancta Rom. Ecclesia te* SUSCEPERIT, *quanta cordis affectione tractaverit, quantam* DIGNITATIS PLENITUDINEM *contulerit, & honoris, & qualiter* IMPERIALIS *insigne* CORONÆ *libentissime conferens, benignissime gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit, confovere nihil prorsus efficiens: quod regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obviare.*

§. XXVII.

Quibus verbis vehementer admodum commotus est Imperator, simulatque in iram versi proceres, quod animadverterent, Pontificem existimare, sibi deberi diadema, suumque beneficium esse imperii Romani apicem. Et verum est, nunquam talia fuisse audita palam, nec quemquam antecessorum similia jactitare ausum. Non referam, qui in Vesontina civitate propterea coortus sit tumultus: sat est, Fridericum illico suum nomen præposuisse pontificio, simulatque cum proceribus in Italos decrevisse expeditionem solennem ac Raynaldum Coloniensis Ecclesiæ antistitem Cancellarium Italiæ constituisse, negans ac pernegans a Longobardis & Pontifice in Teutoniæ Reges aliquid conferri, præter unctionem, quæ legitime electo absque mora sit impertienda. Ne igitur in posterum amplius ejusmodi illepida effutire auderent successores Hadriani, obnixe fecit, ut penes se esset confirmandi Pontificem jus, non autem penes Papam confirmandi & ungendi pro lubitu Imperatorem. Hinc inter Octavianum & Rolandum, quorum posterior Alexander III. priorque Victor III. appellabatur, medium sese cum optimatibus interposuit, definiturus cum auctoritate, quis pro legitimo Papa sit habendus? Et fateor parastatas Alexandri III. id inprimis non sine specie ursisse, Alexandrum a pluribus cardinalibus esse electum Romæ; Victorem a duobus, qui non conficerent ecclesiam Romanam, cujus non esset desitura fides. Unde in propatulo est, nauci eos fecisse imperatorium jus, quod eo ipso credebant evanuisse, cum investiendi facultate sese abdi-

abdicaret Henricus V. ad incitas redactus a Calixto II. homine potenti ac vafro: cum interea accreverit sibi jus examinandi electionem regiam, justa ne fuerit illa, & ad amussim exacta?

§. XXVIII.

Etsi igitur Imperator omnem lapidem movit, ut, depresso Alexandro, Pontifices iterum ad pristinum obsequium reducerentur; fecit tamen vigilantia Alexandri, fecit externorum Principum æmulatio, fecit totius Longobardici regni rebellio, fecit denique superstitio, ut is omni spe abjecta Venetiis tandem reconciliaretur Alexandro eumque pro vero Papa, Saxonibus nova iterum molientibus, agnosceret. Inprimis autem externi Reges ac regna ægre ferebant, arbitrio solius Imperatoris vicarium Jesu Christi ac judicem ecclesiæ visibilis deponi & probari, destitui ac confirmari. Qui Sarisberiensis epistolas diligenter leget, id argumenti haud dubie inventurus est, pluraque alia, quibus Teutonum arrogantiam stolidosque, ut loquitur, ausus depingit.

§. XXIX.

Unde non mirum, moram nexuisse Pontifices aliquandiu, antequam Henricum Barbarossæ filium coronandum judicarent in Romanorum Imparatorem. Quin noluit Urbanus III. eum ungi in Longobardorum Dominum; eoque illi valde displicuit, Gothefridum Patriarcham Aquilegiensem dictum Henricum diademate cinxisse eumque a Patre Augusto, Teutonicis atque Italis appellatum Cæsarem. Minimum Radulphus de Diceto Scriptor Anglus rem ita *in imaginum historia* memoriæ prodit: estque id veri perquam simile, inprimis si Chronographus Aquicinctinus cum Radulpho conferatur. Hoc certum, Urbanum III. toto vitæ suæ tempore Henricum pro Rege Italiæ nunquam habuisse, sed omnes, qui inaugurationi intererant, episcopos a divino officio suspendisse: tantum abest, ut Cæsarem appellaverit, ut potius excommunicationem Friderici meditaretur denuo, nisi Teutonicorum episcoporum concordia & literis saniora Pontifici suadentibus a proposito fuisset deterritus: de quo Arnoldus Lubecensis refert præclara.

§. XXX.

At aliam longe viam institit Gregorius VIII. Albertus alioquin Cancellarius dictus, patria Beneventanus. Hic enim teste Hugone Altisiodorensi, auctore hoc tempore florente, Friderico maxime favebat, & ab hoc vicissim multum colebatur, sperante haud temere, *sibi omnibusque benevolum, si diu viveret Pontificem profuturum.* Neque etiam enim fefellit animus; constatque ex epistola, quam doctus Leibnitius in prodromo Codicis juris gentium diplomatici produxit, Henricum VI. ab hoc Gregorio VIII. omnium primum *electum Romanorum Imperatorem* fuisse dictum. Quod indicio est, Papam tandem

tandem simili ratione atque Germanos & Italos pro CÆSARE eum habuisse. Nam quem Radulphus de Diceto Cæsarem appellatum scribit; eum a Pontifice Gregorio VIII. electum Romanorum Imperatorem in laudata insignitum epistola deprehendimus. Accedit, quod hoc tandem magis ac magis invaluit ævo, ut ipsa Germania *Imperium Romanum* vocaretur; quod e Chronographo Reichersperginsi illico est adprobandum. Ex quo liquet, quare Germaniæ Reges sint nominati: de quo elogio alioquin multa juris publici Doctores fabulantur.

§. XXXI.

Primus, qui Regis Romanorum titulo usus est, Henricus III. fuit, cujus sigillum Papebrocius in propyleo ad mensem Aprilis laudat, ac Zillesius vidit describique curavit, a. CIↃ XLIV. confectum, cum ad schisma Romanum tollendum sese accingeret: propere id extincturus, nisi in Hungaros suscepta expeditio remoram fecisset, ut anno demum CIↃ XLV. ad finem labente effectui destinata daret. Post hunc Henricus V. eo nomine cluit: deinde Lotharius, Conradus III, Fridericus Barbarossa, Henricus VI. simili appellatione occurrunt: quam non est ausus Germanis denegare Regibus Innocentius III. quantumvis jus examinandi, Regis coronandi personam sibi magno nisu tribueret.

§. XXXII.

Hoc monitu necessarium, Henricum III. rarissime Regis Romanorum titulo videri ornatum: immo solum sigillum a Nicolao Zillesio adlatum hujusmodi appellationem ostendit. Henrico V. pater Henricus IV. istud δεῖγμα tribuit: Lotharius vero S. Bernhardi litteris ad ejus generis titulum adsumendum excitatus esse videtur. Nam cum Innocentius II. ad tuendam ecclesiam Romanam contra Regem Siculum Anacleti partes foventem Lotharii auxilium anhelaret, Bernhardus ad hunc litteras dedit, ne Innocentium desereret. Hinc in epist. CXXXIX. inter alia legitur: *Non est meum hortari ad pugnam, est tamen advocati ecclesiæ arcere ab ecclesiæ infestatione Schismaticorum rabiem; est* CÆSARIS, PROPRIAM *vindicare* CORONAM *ab usurpatore Siculo.* Quocirca animum prorsus induco, hac ætate demum plene in usum irrepsisse, ut a Teutonibus electi Romanorum Reges appellarentur; maxime cum Pontifices adversus Arnaldistas & hi adversus Pontificem Germanorum opem implorarent, Regibusque tale elogium ipsimet tribuentes, Romanam *coronam* iis *propriam* dicerent: quamvis interea jus examinandi Regis electi personam neutiquam dimitterent. Ea fini Cœlestinus III. consecrationem Henrici VI. distulit, ne tam jure, quam Romanorum precibus motus videretur, ad coronam imperialem ei impertiendam. Arnoldi Lubecensis locus lib. IV. cap. IV. memoratu dignus est: *His autem*, inquit, *dispositis, Rex cum manu valida Italiam intravit cum Philippo Coloniensi & Othone, Duce Bojemiæ, & aliis multis. Cumque*

appropinquaret Romæ susceptur us Apostolicam Benedictionem, Dominus Apostolicus Clemens mortuus est. Pro quo Dominus Cælestinus in sede est sublimatus. Qui videns Regem cum multa jactantia venisse, ad protelandam ejus consecrationem suam distulit. Sed Romani exeuntes ad Regem, sic ei locuti sunt: Fac nobiscum amicitias, & honora nos & urbem jure nostro, quod exhibuerunt reges, qui ante fuerunt. Insuper fac nobis justitiam de castellis tuis, quæ sunt in Tusculano: quia sine intermissione nos inquietare non cessant: & erimus pro te ad Dominum Papam, ut coronam Imperii super caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum se promptum exhibuit. Insuper castrum vel civitatem, de qua conquesti sunt, dirui præcepit. Romani vero accedentes ad Dominum Papam adhuc latente consilio dixerunt: Domine, oves tuæ sumus, tu pastor ovium & pater filiorum. Ideo rogamus clementiam tuam, ut parcas nobis, qui non parum afflicti sumus. Tu enim, ut melius nosti, cum magistro gentium teneris flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. Rex iste cum infinita multitudine terram occupavit, & devastat segetes nostras, vineta & oliveta. Quapropter rogamus, ut in hoc nobis subvenias, ne consecrationem ipsius ulterius differas, ut non consumatur terra inopia. Ipse etiam pacificum se venire affirmat, & in omnibus urbem nostram honorare, similiter & paternitati tuæ obedire desiderat. His precibus ubi consensum præbuit Apostolicus, cum summo tripudio Rex urbem ingreditur. Sicque Dominus Papa in die Paschæ solenniter consecratur, & proxima secunda feria cum summa Pacis tranquillitate Dominus Imperator una cum Imperatrice benedicitur & coronatur.

§. XXXIII.

Post excessum Henrici VI. omnem lapidem movit Innocentius III. ne Henrici proles aut frater Philippus ad imperii Romani apicem exaltaretur, ratus, suæ & successorum auctoritati decessurum haud parum si Hohenstaufius Princeps jure hæreditario regnaret, quod stabilivisse denuo Henricum ac peculiari pacto, ex Gervasii Tiberiensis otiis imperialibus aliisque auctoribus perspicue innotescit. Hinc non solum electionis jus ab Hildebrando olim Germaniæque proceribus approbatum commendatitiis iterum libellis ut necessarium atque utile, inter varias verborum figuras, depingebat; verum etiam aperte Philippum reprobabat, ut hostis ecclesiæ fratrem, filium, abnepotem, qui ipse esset a Cœlestino III. cum Marchionatum Tusciæ teneret, excommunicatus: quanquam Teutoniæ summates plurium suffragiorum concentum laudabant, Italos Pontificemque stringentem, ne alii, quam qui placuisset majori Principum parti, vel Titulum Regis, vel elogium Imperatoris tribuerent. Extant ea de re Germanorum litteræ ad Innocentium III. sed inveniuntur simul responsoriæ, quibus commentitia firmare jura satagit. Unde operæ pretium, ut tam Principum, quam

quam Innocentii argumenta adscribantur. *Quis enim*, inquiunt, *huic similem audivit audaciam? Ubinam legistis, o summi Pontifices, ubi audivistis sancti Patres, totius ecclesiæ Cardinales antecessores vestros, vel eorum missos Romanorum Reges electionibus se immiscuisse, sic ut vel electorum personam gererent, vel ut* COGNITORES *electionis vices trutinarent? Respondendi instantiam vos non credimus habere.* Nam quamvis Electores inficias ire non possent, ad hanc usque ætatem se electionem Regis sui & Romanorum Pontifici notam fecisse; non credebant tamen illi, aliud competere jus præsuli Romano, quam ut plurium suffragiis, hoc est, JUSTE electum coronaret. Innocentius autem trutinare & ponderare eligentium suffragia Regumque personam cupiebat IN AUDITO prorsus exemplo: dialecticis quibusdam rationibus usus, quemadmodum in causis aliis solebat, maxime cum hujusmodi methodus undique invalesceret, & in scholis regnare occiperet. Est hæc Dupinii observatio, quam in vita Innocentii III. reperias. Unde facili negotio intelliguntur Antistitis hujus responsoriæ variæ, quæ in *Registro* epistolarum Innocentii III. de imperii negotio inveniuntur, hujus cumprimis tenoris: se Principum jus ac potestatem eligendi recognoscere, ad quos de jure ac consuetudine pertineret; sed pervenisse illud interea ab Apostolica sede ad Germanos, quæ Romanum imperium transtulerit a Græcis ad Carolum M. Regem magnificum: Jus vero & auctoritatem examinandi personam electam in REGEM & promovendam in IMPERIUM ad se pertinere, & Pontifices, qui eam inungunt, consecrant & coronant: Esse hoc generatim observatum, ut ad eum examen personæ pertineat, ad quem impositio manus. *Num quid enim*, pergit, *si Princeps non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque vel excommunicatum in Regem, tyrannum vel fatuum, hæreticum eligerent aut paganum nos inungere ac consecrare ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino. Objectioni ergo Principum respondentes asserimus, quod legatus noster Episcopus Prænestinus nec electoris gessit personam juxta quod nobis per litteras suas quidam principum opponebant, utpote qui non fecit aliquem eligi, nec elegit, & sic electioni nequaquam se ingessit; nec cognitoris personam exhibuit, cum neutrius Electionem, quoad factum eligentium, confirmandam; & sic jus illud Principum nullatenus usurpavit, aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, quia personam Ducis ejusdem denunciavit indignum, & personam Regis denunciavit id meam quoad imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quam propter merita electorum; quamvis plures ex illis, qui eligendi Regem in Imperatorem promovendum de jure ac consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem Ottonem, & ex eo, quod fautores Philippi absentibus aliis & contemptis ipsum eligere præsumserunt, pateat eos perperam processisse, cum explorati sit juris, quod electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum*

torum obsistat. Unde quia privilegium meruerunt, amittere, qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immerito potest, quod injuria non obstante, ceteri uti potuerint jure suo. Et quoniam Dux prædictus nec ubi debuit, nec a quo debuit coronam & unctionem accepit memoratus vero Rex & ubi debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo recepit utrumque, nos utique non Philippum, sed Ottonem reputamus & nominamus Regem justitia exigente. In reprobatione vero præfati Philippi Ducis Suevia propter manifesta impedimenta personæ non accusatione, sed condemnatione potius fuit opus, quia non accusatione, sed condemnatione indigent manifesta. Quod autem cum in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem & expectationem alteri partium favere possimus, maxime postquam a nobis unctio, consecratio & coronatio postulantur, sicut utraque *pars a nobis multoties postulavit, ex jure patet pariter & exemplo. Numquid enim si Principes admoniti & expectati vel non potuerint, vel potuerint convenire, apostolica sedes advocato & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sciunt autem Principes, & tua nobilitas non ignorat, quod cum Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte. Nos ergo per nuntios Principum memoratos eos duximus commonendos, ut sicut nos a juris ipsorum cessamus injuria, sic ipsi contra jus nostrum se nequaquam injuriosos ostendant, sed a præfato Duce justo quidem a nobis judicio reprobato recedant, & præfato Regi Ottoni non abnuant adhærere, nisi tunc demum contra personam vel factum legitimum quid ab eis objectum fuerit & ostensum. Sunt enim notoria impedimenta Ducis Sueviæ &c.* Extant hæc verba & argumenta partim in cap. VENERABILEM X. *de electione*, partim aliis in litteris Innocentianis, quæ *de imperii negotio* a Doctissimo Baluzio, quicum communicavit Ferdinandus Furstenbergius Doctissimus Paderbornensium Episcopus, vulgatæ sunt, quasque Lectoribus de meliori nota commendamus.

§. XXXIV.

Ex his igitur oppido liquet, quam paratragœdiet Comes de Segnia, qui est Innocentius III. quibusve sophismatibus decipere imperii summos Principes conetur. Ne enim dicam, a Papa nihil esse a Græcis translatum in Francos; sed potius per Pipinum ab Langobardis vindicatum exarchatum & ducatum Romanum tributum esse tantisper Romanis, non autem soli Pontifici; etiam clarum est, Romanos cum pontifice potius dedidisse se suaque sine ulla exceptione Carolo, ne eos deglutiret Langobardorum gladius, eosque consumeret Arrianorum exercitus victricia undique locorum circumferens arma. Unde in patrimonium Caroli Romana universa concessisse verisimilius multo est, quam solenni cerimonia a Pontifice data omnia atque singula Carolo, eoque amplius

infertur,

infertur, quidquid postea accrevit Pontifici, quidquid Romanis, non tam proprio jure iis accessisse, quam DOMINI sui beneficio! ut qui ex caussis arcanis & politicis demum commutavit elogium Patricii cum titulo Imperatoris ad imperium Græcorum & conjugium Irenes spem suam protendens, quemadmodum Pontifex vicissim fiducia erigebatur, se universalis in occidente episcopi per temporum spiramenta hoc modo consecuturum auctoritatem. Eo illa RENOVATIO IMPERII nummis expressa spectabat; neutiquam vero eum inventa, ob finem est, ut Franci a Pontifice & populo Romano sub barbarorum & Arrianorum ditionem haud dubie redigendis, beneficium acciperent: imo quos Byzantini Imperatores a Langobardorum defendere injuriis nequivere, eos Carolus defendit victor, Princeps ultra modum generosus ac beneficus.

§. XXXV.

Deinde non amplius in quæstionem venit, quid Caroli ævo sit factum; sed quibus conditionibus postea Ottonum & Germanicorum Regum ævo paruerint regno. Neque vero Innocentius III. adseverare ausus est, ante Lotharii Saxonis ætatem aliquid sibi juris in electione competiisse, multo minus examen personæ electæ antecessores suos sibi vidicasse. Quin annalibus repugnat vetustis, Lotharium præ Conrado III. & Friderico Coclite a Pontifice Innocentio II. esse in regni solio firmatum; cum potius in propatulo sit, Lotharium Herbipoli Innocentium II. *elegisse & comprobasse*, sicuti Chronicon Magdeburgense adhuc in editum loquitur. Quem in finem etiam Anacletum Petri Leonis filium proscripsit, atque Innocentium in Lateranensem ecclesiam, quæ juris est imperialis, armata manu introduxit, cum antea beati Petri ecclesiam per se tenuisset; prodente hoc Chronographo Maurinacensi, quem Quercetani industria in vulgus emisit primum.

§. XXXVI.

Jam vero cum primum exemplum jactati examinis papalis sit falsitatis convictum, nec tam Lotharius a Pontifice, quam Innocentius II. ab illo tot beneficiis reperiatur ornatus, mirum sane est, Lotharium Pontifici reliquisse jus investituræ, eumque defendisse manu ac copiis suis, ac tandem Apuliæ Ducem simul ac eo permisisse investiri. Quæ res veritatem tandem astuto Innocentio III. expressit, ut in literis ad Alemanniæ Principes præ ceteris laudaret Lotharium, Ottonem IV. hujus pronepotem iisdem commendans Philippoque Suevo multis parasangis præferens. *Cum Otto*, inquit, *& per se devotus existat Ecclesiæ, & ex utraque parte trahat originem ex genere devotorum, ex parte matris de domo Regum Angliæ, ex parte patris de prosapia Ducum Saxoniæ, qui omnes ecclesiæ fuere devoti & specialiter* LOTHARIUS *Imperator proavus ejus, qui his pro Apostolicæ sedis honore Apuliam est ingressus, & in obsequio Ecclesiæ Romanæ decessit, ei manifeste*

manifeste favendum, & ipsum recipiendum in Regem & præmissis omnibus, quæ pro honorificentia ecclesiæ Romanæ debent præmitti, ad coronam imperii evocandum.

§. XXXVII.

Pro quibus beneficiis tamen abest, ut grati extiterint præsules Romani in Lotharium ejusque successores, ut potius in exemplum eum proposuerint commentitii examinis; addideritque sæpe nominatus Innocentius III. novum glossema, videlicet, ei denegari non posse rigidum personæ electæ scrutinium, qui ungendi habeat munus & consecrandi. Quæ consecutio si admittatur, Coloniensis Archiepiscopus totam sane suo convellere electionem arbitrio posset, si idem sibi summeret ut consecrator Romanorum Regis, quod sibi tribuit sumitque sacerdos ecclesiæ Romanæ ut Imperatoris Romani unctor. Et hoc vero absonum futurum absque omni ratione alienum, nemo est paullo humanior, qui non intelligat. Hinc nihil moti Teutoniæ proceres argumentis Innocentii in speciem excogitatis, Philippo adhæserunt constanter: utut omni studio actitavit ac cœlum terramque confudit, quo suo potiri desiderio votoque posset: testatum faciens hoc ipso, quam nihil sit largiendum Papæ dialecticæ ac fallacibus conclusiunculis dedito, ut suas opes suamque auctoritatem diis hominibusque invitis stabiliat. Nam quo exemplo fit, id etiam jure fieri putat & aliquid atque adeo multa addit & affert de suo; hincque fit, ut proprio candore & pietate occidant, qui sua prudentia esse potuissent salvi. Ita non tantum in alia caussa rationes subducit Cicero; verum etiam Marsilius Patavius hoc in themate argumentatur, quando de Pontificum Romanorum technis, & personæ electæ recognitione, quam sibi tribuunt iidem disserit. Inde enim, quod illos de electione sua certiores reddidere Germaniæ Reges, variarum consecutionum telam texuere, quam primo non animadvertebant Principes boni, dum & pietatis & humanitatis existimarent, in conscientiam electionis admitti sibi aliquando imperii Romani diadema impositurios. Adducam Marsilli Patavini verba memoratu digna, si demas quæ is de Constantino Magno adfert historiarum solida cognitione destitutus: *Voluerunt*, inquit part. II. defensor. pac. cap. 26. *Romanorum Principum quidam circa tempora Constantini, ex superflua quadam devotione electionem de se factam amicabiliter significare Romanis Pontificibus: ut in eorum persona Christo singularem reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem benedictionem & gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent. Eodemque modo propter sua inthronisationis solennitatem & signum, & ampliorem Dei gratiam obtinendam, diadema regium per eos sibi imponi fecerunt. Ex hac quidem igitur reverentia sic sponte per Romanos Principes exhibita, quærentes sæpius quæ non sunt, Episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem & abusum verius, propter Principum simplicitatem, laudationem electæ personæ, ac benedictionem*

dictionem, quam super illam mittebant vocaliter, aut in scriptis vocare confirmationem Electionis prædictæ. Nec attendentibus olim Romanis Principibus, quæ sub hac appellationis figura præjudicialis lateat intentio, sic ipsum successive subinduxerunt latenter, ut nullus quantumcunque convenienter electus Rex vocari debeat, neque Regis auctoritatem habeat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus. Quæ siquidem approbatio in ejus solius mera voluntate consistit (ut dicit) neque suorum fratrum quos cardinales appellant consilium in hoc, aut aliis, quamvis eo utatur, imitari tenetur.

§. XXXVIII.

Quoniam vero Pontifex ab unctione indaginem regiæ personæ pendere statuerat, hinc usu venit postea, ut de consecrationis necessitate acerrime disputaretur: quamlibet magis doctorum auctoritate, quam solidis argumentis pugnarent ad unum fere omnes. Jam quippe altas in multorum animis radices egerat præsumta opinio, nempe unctione demum reges auctoritatem consequi, eaque sacerdotibus illos aut superiores, aut pares iisdem effici. Ad ritus enim, qui abesse & adesse possunt, pertinere istam, pauci cognoverant. Adeo spissa in historiis ignorantia opprimebat etiam primarios viros, ut semper obtinuisse eam somniarent: cum tamen nemo e Francorum Regibus sacro unguento sit illinitus, antequam Pipinus Childericum in monasterium daret tondendum. Hic enim cum filiis suis primum in Francia solenni hac cerimonia regio muneri est initiatus.

§. XXXIX.

Ceterum infirmum nimis atque expelvi fulgur est, quando Innocentius intonat: *Quid si hæreticum eligant Germani, si quid prædonem, Saracenum?* Quid enim, regero, si cœlum ruat? quid si Pontificem deligant adulterum, simoniacum & aversæ veneri deditum? an consecrabunt Cardinales? non fiet hoc, inquient, sine dubio. Multo minus eveniet, addo, ut Imperator futurus sit Turca; eoque tam rigidum & a servo servorum tot fucatis rationibus defensum examen merito in inanibus, refertur. Sunt in Germania præsules tam sapientes; immo sapientiores sæpe, quam Romæ; nec Trevirensis Petri successorem se jactat infirmiori jure, quam præsul Romanus. Norunt & illi, quid si hæresis, tenentque memoria, a Papa sæpe hæreticam pravitatem Principibus maxime innoxiis esse impactam; inque primis Henrico IV. ac Friderico II. ut de Ludovico Bavaro nondum dicam. Et jam vero melior universi orbis portio intelligit, injuste tale eos stigma tulisse, totque persecutiones esse perpessos omnes inique.

§. XL.

Quæ etiamsi ad retundendum fictitium regiæ personæ examen sufficiunt, ipseque summus Pontifex vix cogitur, ut manum imponat Imperatori, si qui

illum de falsa ejusdem religione scrupulus urgeat; vix tamen id argumenti obstinatis Romanæ ecclesiæ antistitibus persuadet, scrutinium justæ electionis cum libertate repudiandi omnimoda ab iis fore omittendum. Papa namque solus dijudicat omnes; judicatur a nemine: Papa Reges creat, ac destituit, eos locupletat, & ad stipem redigit; in classem filiorum DEI refert, & ab ea exclusos iterum Satanæ tradit; nec exempla longe essent arcessenda, si per omnes Europæarum gentium ire annales liberet. Qui ambigit, interea Ottonem IV. Fridericum II. ac Conradum IV. contueatur, simulatque sequentia axiomata perpendat: Qui Papæ resistit, DEO resistit, inique hæreticorum numero merito reponitur. Qui dicit, a Papa, aut ejus jussu non consecratum Regem esse verum Imperatorem, is eadem hæreseos labe commaculatus omnibus diris jure devovetur. Cujus execrationis metus effecisse demum videtur, ut nemo Regum auderet Imperatorium sibi tribuere nomen, antequam manu Romani præsulis esset corona cinctus.

§. XLI.

Quod postremum sicuti ferri quodammodo potuisset; ita intolerabile prorsus & acerbum omnibus accidit, repudiari pro lubitu reges, & improbari Teutonicorum procerum electiones sanctitatis eximiæ obtentu, aut confirmationis jus omni machina è jure divino humanoque stabiliri, de quo ante Lotharii Saxonis ævum nemo Pontificum per somnium aliquid cogitaverat. Istud autem prorsus futile est, Papam indigere advocato & tutore; proinde penes eum esse declarare, quis imperatorio fungi munere debeat? aut enim Germani jus eligendi habent, aut non habent. Sin posterius, quare quæso jus eligendi iis tribuit? Sin prius, quare, dum eligunt, stomachatur? Cur alium advocatum postulat? At at hoc illud sophisma est, sub quo latitat anguis. Igitur dicendum, penes Teutones esse potius facultatem eligendi & Regem, & ecclesiæ Romanæ advocatum. Hæc cum Pontifice suo sub clientela imperii agit: eoque pro absurdo utique habendum, ut cliens patronis suis legem præscribat, ipsosque defensores, a quibus salutem sperat, diabolo ejusque ministris excruciandos dedat, nî quidem ipsius desideriis satisfaciant statim, &, quem is regno destinat ambitiose, in solium collocent: inusitato sane exemplo, ut cliens & infirmior potentiores terrefaciat, defendendus defensores conficiat, auxilio indigens auxiliatores opprimat. Sed ita est: Papa omnia pervertit & mutat & miscet quadrata rotundis, rotunda quadratis.

Monsieur le Pape est vrayement
du monde bas l'étonnement.

§. XLII.

Inprimis vero Innocentius IV. ejusque successores post varios ausus rem ad

ad extrema pepulere, Friderico II. namque de solio Lugdonensis Concilii auctoritate dejecto, id tandem egere, ut vel Principes infirmos ad regiam dignitatem eveherent, vel externis & sui fautoribus diadema ipsimet offerrent: quemadmodum de Regis Galliæ fratre Roberto itemque Hacquino Noruegiæ Rege e Matthæo Parisiensi certissime constat, a dicto Pontifice eos ad Germaniæ regnum capessendum perperam esse sollicitatos, cum fere nemo inveniretur usquam, qui tam periculosum navigare æquor cuperet. Saltem exploratum est, cavisse Alexandrum IV. ne eligeretur Conradinus, simulatque excommunicationis fulmen interminatum Electoribus principibus, si contra facerent. Extant hujusmodi apud Raynaldum & Leibnitium litteræ ambitionis plenæ; mirumque omnino est, potuisse Germaniæ proceres concoquere minas adeo infrunitas.

§. XLIII.

Verum tamen scissa semel in partes Germania atque unoquoque non quæ patriæ, sed quæ sua, respiciente, uno ad Anglos, altero ad Hispanos inclinante, plurimis e confusione emolumentum sperantibus, ecquid tandem aliud potuit evenire, quam ut de Germania triumpharet Papa, atque Urbanus IV. arbitrium sibi tandem sumeret pronuntiandi, Alphonsusne, an Richardus pro legitimo Romanorum Rege ac futuro Imperatore esset habendus? Conradino interea carnificis manu pereunte, cujus genus tanto odio prosequebantur præsules Romani ad unum omnes, ut propterea vel Richardum mallent, quam Alphonsum Castellæ Regem sanguinem ab Hohenstauffia matre ducentem. Elucet id quodammodo e binis epistolis dicti Urbani IV. quas præter eam, quæ apud Raynaldum & Leibnitium invenitur, publico bono nuper vulgavit Edmundus Martené Anecdot. Tom. II. p. 27. & 319. Præterea cognitum est, ejusdem Vrbani successorem Clementem IV. non tam mitiorem, quam duriorem in Suevorum progeniem extitisse invidia & ira ne quidem cum vita deposita.

§. XLIV.

Jam vero cum e consortio mortalium excessisset Conradinus, ac, Richardo ad plures abeunte, Alphonso in Hispaniis agente, sursum deorsum in Germaniæ interregno omnia potentiores principes verterent; Gregorius X. demum Episcopos commovit, ut ad electionem novam cum conlegis animum appellerent, ni quidem a se esset eligendus Imperator. Ac quamlibet hi Rudolphum Habspurgicum Virum sapientem Regem designassent; non ausus est tamen ille sine confirmatione hujus Gregorii acceptare oblatum sibi diadema. Quo ipso bina, eaque admodum utilia acquisivisse sibi jura visus est in fraudem acutus Pontifex. Primum est, Electores suo jussu elegisse; deinde a se esse confirmatum Rudolphum. Nec inficiamur, eundem hic apparere flosculum, quam jam ex Inno-

centii III. epistolis excerpsimus, nempe, ad Præsulem Romanum devolvi jus eligendi Regem Romanorum, si moras nectant Germaniæ Principes: ne sibi suæque ecclesiæ advocatus desit, & legitimus defensor. At in eo cum maxime fallitur Pontifex, quando monendi facultatem in jussum mutat, & ad se devolvi jus eligendi clamitat, si differant paullulum electionis negotium. Recte enim jam olim monuit doctus Lipsiensium Theologus Henricus Hœpffnerus in *Saxonia Evangelica* p. 219. inficetum valde videri tum Imperatorem, tum Electores pro defensionis beneficio Pontificis subjacere libidini. *Quodsi*, pergit, *maxime ut episcopum verum se gereret Pontifex, nihil aliud in electione Cæsaris velut persona ecclesiastica præstare posset, quam* CASUISTÆ *fungi officio & munere, ut talis eligatur, qui religioni veræ sit addictus.* Sed quam multas & alias Pontifices habuerint causas cum Gregorio X. ut aliquando regias electiones promoverent, atque interdum impedirent, tum ex annalibus eorum temporum intelligitur, tum Gregorii X. peculiaribus argumentis. Timebat is inprimis, ne laici principes sacerdotum bonis avidius inhiarent; hinc de qualicunque defensore sollicitus minas undique spargebat, a se iri designatum Romanorum Regem, ni festinarent, & confusionis finem facerent. Quod diffiteri neutiquam potuit Nicolaus Schatenius Jesuita in Annalibus Paderbornensibus. Sed jus vero devolutionis, quod Innocentius III. & Gregorius X. inprimis urgebant, illepidum plane est atque ineptum. Estne Germaniæ regnum capitulum, quod Pontificis auctoritatem summam & arbitrium agnovit unquam & usquam? Et neque vero id affirmare audet Innocentius III. sed meris dialecticis ratiunculis stabilire satagit ingenii nova commenta: defensionem ecclesiæ Romanæ obvertens imperitis, quæ tamen adeo ingratam simulatque potentem sese ostendit semper, omnes ut defensores everteret. Sed fecit tamen utilitatis privatæ ratio, ut liræ hujusmodi locum etiam in principum animis invenirent. Eo refero Ludovici Severi Palatini Principis epistolam, quam jactant Romanenses, immo omnium Electorum ad Nicolaum III. datam, in qua profitentur, *Romanam matrem ecclesiam quadam quasi germana charitate Germaniam illam eo terrenæ dignitatis nomine decorasse, plantantem in ea principes tanquam arbores prælectas, & rigantem illas gratia singulari dedisse illis incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius ecclesiæ auctoritate suffulti velut germen electum per ipsorum electionem, illum, qui frena Romani teneret imperii germinaret. Hunc esse illud luminare minus in firmamento militantis ecclesiæ per luminare majus Christi vicarium illustratum.* Publici juris hasce litteras fecit Ordericus Raynaldus Tom. II. p. 303. edit. Colon. ad quas jam ante ipsum provocaverant, Bellarminus & Jesuita Cutsemius. Nec ambigo, quin laudatissimo Hœpfnero istæ fuerint cognitæ: quanquam in hoc decipitur, dum à Bellarmino Ludovici Palatini litteras esse interpolatas

polatas propterea credit, quod omnium Principum nomine hic eas scribat exaratas. Vtrumque verum est: scripsere electores: scripsere itidem Ludovicus Palatinus, ut & Otto Brandenburgicus Marchio: quod bene notat Raynaldus, horumque litteras nuper illustris Fontanini in publicum emisit.

§. XLV.

Et neque vero necesse est, ut aliquis eas falsas & supposititias nominet: facta hæc esse nil impedit. Quæritur, quo jure? hocque aliud. Nequaquam enim, quod ex zelo bono fecere Principes, prælucente scientia & intellectu perpurgato actum est; præsertim cum Doctores & Sacerdotes fuerint, qui epistolis hisce scribendis operam navarunt: ut ne dicam, in facto pontificem ac multo magis Principes, maximam partem militari studio deditos, potuisse errare. At facti quæstio est, an Romana Ecclesia eligendi potestatem iis dederit? Nunc meliora sunt edocti ipsi scriptores pontificii, inque illis cum maxime Antonius Pagius, qui Baronium hac parte mirifice castigat, ut Paulum Windeckium confusæ industriæ hominem silentio prætermittam, qui quod Christophorus Gewoldus, nescio quo fato, pro Papæ commento scripserat, nonnullis argumentis & pro ingenii modulo quadantenus confutavit.

§. XLVI.

Alterum vero, quod Rudolphus Habspurgicus cum Gregorio X. Lausannæ congressus est, absque eo confirmationem regni petiit, & Principibus electoribus præeuntibus eidem Pontifici obedientiam jurejurando promisit, in dubium vocari itidem nequit. Scimus potius, eum metu præteritorum malorum perterritum obnixe omnia fecisse, ne vetus inter ecclesiam & imperium renasceretur discordia retineretque Pontifex Romandiolam & Bononiam, quam vi ex ipsius retrahere manibus non poterat: contentus hac parte, si votum dissolveret suum, ne in Palæstinam ire cogeretur ex promisso. Ipsi Pontificii scriptores hoc diffitentur neutiquam inque iis Floriacensis (*Fleury*) diligens ecclesiasticæ historiæ scriptor qui rem, uti est, sine circumitione refert.

§. XLVII.

Quid ergo peregrini, si sub Adolpho & Alberto eandem luserit fabulam Bonifacius VIII. ex Cajetanorum stemmate oriundus, homo ultra modum superbus, qui se Cæsarem simul nominare & Pontificem sustinuit? Quamdiu etenim inter Albertum & Philippum Galliarum Regem concordia manebat, parricida Albertus erat atque inhabilis prorsus, qui Romanæ ecclesiæ defensionem susciperet. Leguntur ejus adhuc litteræ irarum plenæ, quibus imperialem dignitatem abjudicabat Austriaco, præcipiens cum auctoritate, ne quis ejus electionem canonicam diceret, aut sibi jus examinandi Regis personam negaret. Posteaquam vero Philippus Pulcher superbos Pontificis mores ferre nollet, sed

ei

ei extrema & minitando & agendo decerneret; immutata est scena. Illico enim Albertus filii morigeri nomen tulit, uti qui noluisset contendere judicio, sed mitissimi patris misericordiam implorasset, veniam propterea promeritus & imperialia sceptra, ad quæ porrigenda futurus sit promptissimus, si rogaretur. Unde facile comprehensu, quare idem Albertus fidem suam obstrinxerit Bonifacio summaque gratiarum actione Romani pastoris benignitatem ac amicitiam sit amplexus. Sed gloriantur interea Romanæ aulæ adulatores, fassum esse hunc Imperatorem, *Romanum imperium per sedem Apostolicam de Græcis translatum esse in personam magnifici Caroli, simul atque jus eligendi Romanorum Regem in Imperatorem provehendum certis principibus ecclesiasticis & secularibus ab eadem sede concessum.* Extitisse hujus generis epistolam, nec a Raynaldo primum ad a. 1303. orbi erudito fuisse obtrusam, inde potissimum patefit, quod Leopoldus de Bebenburg cap. XII. *de jure imperii* sua jam ætate ejus meminit: merito insimul negans, nocere vel tantillum ejus farinæ confessionem Alberti successoribus posse, ut qui jure suo aliunde proveniente uterentur, nec tam precaria & a Pontifice emendicanda potestate indigerent. Adjicio argumentum stringens ex ipsius Pontificis confessione ac pharetra depromptum.

§. XLIIX.

Fac enim, a Romanis & Ecclesia Romana defluxisse eligendi jus in imperii summos proceres, quid nunc istud ad ejusdem præsulem? quod Germani acceperunt, ita sane obtinent, ut nunc primi concedentes omni sint facultate & jure, quod abjecere, prorsus exuti. Uno verbo: Principum electorum jura privantia sunt, &, nisi essent talia, ea sane, quæ utcunque fuere cessa & permissa, revocari quandocunque possent: quod quam sit absonum, nemo est paullo argutior, qui non videat.

§. XLIX.

At Papa Μοναρχόμαχος est cum populo suo: tuetur ille differentiam majestatis realis ac personalis. Illa penes ipsum, hæc penes electores atque Imperatores invenitur; quibus ille capita, tanquam infantes pupulis, pro lubitu amputat. Quidquid largitur, cum exceptione largitur. Non esset, credo, magis jucundus, magis utilis, ac magis denique necessarius & fortasse vendibilis libellus, quam talis, qui vel RELIGIO PONTIFICIS vel PAPA Μοναρχόμαχος inscriberetur.

§. L.

Sed ad rem. Ipse Henricus VII. Princeps alioquin egregius atque acer amoliri a se primum necessitatem impetrandi a Clemente VII. consensum & confirmationem dignitatis regiæ non poterat. Produnt hoc Teutoniæ procerum litteræ, indicant ipsius Clementis V. responsoriæ: testatur jusiurandum in confi-

confiniis Italiæ ac Burgundiæ iterato præsticum. Unde novum argumentum Papæ asseclis, qui ab exemplis magis, quam jure, a possessione sæpius, quam lege & more rationi conformi argumenta petunt. Sed postquam is technas Clementis animadvertit, & Roberti Neapolitani Regis insidias, Pontificis artibus clandestinis suffultas proprio experimento intellexit, aliter longe incedendum sibi sapientissime censuit. Longum esset enarrare, quæ is in Italia gesserit, quæ in Robertum Romanæ sedis imaginarium defensorem sit molitus. Sat est commemorare hoc loco, noluisse eum profiteri ultimo, se a Pontifice Romano tenere imperium: de quo gravissime postea conquestus est in Clementinis suis Pontifex; eo demum audaciæ prorumpens, ut jurandum Imperatorem fidelitatis *juramentum præciperet* appellandum. Ego nullus dubito, quin pristina in præcordia rediisset Germanis virtus, si vitam Henrico VII. servasset DEUS magno animo imperii jura vindicanti.

§. LI.

Sed inde vero potissimum superbientis Ioannis XXII. fervidissima consilia derivo, reducturi hac ratione Germanos ad officium, ne in posterum in Italia ac Romana Civitate & imperio adfectarent dominatum. Est enim extra dubium constituendum, Ioannem hunc amplissima mente complexum Italiam suo subjicere arbitratui decrevisse. In quo ne suo excideret scopo, Gibellinos primum adortus est, Italiæ venditans sese vicarium, & ne quid injuriæ ac fastui deesset, Arelatensis quoque regni provisorem. Neque enim modica spes eum sustentabat, fore ut dum de Allemannia certarent Fridericus Austriacus & Ludovicus Bojus, victricibus ille armis utrumque interea regnum subigeret. Sed aliter res cecidit: Ludovico enim existente victore, in proclivi erat, dissidentium Principum consequi suffragia ac disipare factiones sibi primum adversas. Unde piaculo datum, non exspectasse Bojum Iacobi de Cadurco confirmantem vocem, nec submisisse eundem totum electionis negotium sacratissimi interregis arbitrio.

§. LII.

Hinc illæ pro jure regni disputationes: an Reges Germaniæ subjecti sint Vicario Christi? An Papæ jus veniat ab unctione, & coronatione? an ab advocatia armata ecclesiæ Romanæ? Inspergebantur quæstiones aliæ partim præjudiciales, partim ad rem nihil admodum facientes: an Electores a Pontifice fuerint instituti? A quo imperium Romanum ad Francos seu Germanos sit translatum? Qualem vim habeat consecratio? An necessaria sit? An ea nondum suscepta Regis elogium electo, aut Imperatoris tribui possit? An Pontifici debeat jurari? An debeat ab eodem Rex Romanorum confirmari? An istud jusiurandum sit fidelitatis juramentum? & an denique ante illam confirmationem Papa sit imperii vicarius?

§. LIII.

Nemo non videt Principes electores eorumque consiliarios has quæstiones omnes negasse rotunde: atque ipsum Ludovicum vero manibus pedibusque obnixe omnia fecisse, ut aliis doctrinis imburetur populus, ne in servitutem tum Rex Germanorum, tum totum cum Electoribus imperium à Romana ecclesia redigerentur. Quocirca defensores & Doctores undique conquisiti, qui strenue impugnarent dictata papalia regio muneri & Teutonice libertati adeo contraria. In his inprimis memorantur Ioannes Fundanus, & Marsilius Patavinus sedi Apostolicæ longæ infensissimi: quorum argumenta multi albæ mentis homines calculo suo merito probarunt: quemadmodum è contrario Ioannes XXII. piorum albo Ludovici Imperatoris nomen tum ob hujusmodi doctrinas, tum refractarium, ut loquebatur, animum repetita vice extinxit.

§. LIV.

Incredibile fere videtur, potuisse Adelzreiterum scriptorem Bojum & Ferdinandi Mariæ Bavariæ Electoris administrum reprehendere hac parte Ludovici imperatoris gesta: idque circo probabile redditur, Wærfugium Jesuitam scribendis ejus annalibus calamum aliquando accommodasse. Quid enim, quæso, faciendum optimo Principi, qui obedientiam ac reverentiam amplissimis verbis Cadurcensi offerebat sæpe sæpius? Morigerum sese filium futurum spondens, si paternum erga se indueret animum? Ecquod igitur crimen est, Pontificem dixisse hæreticum, qui temere eam Ludovico maculam affricuit? Quod scelus, criminis læsæ majestatis reum pronuntiasse, eumque pontificatu dejecisse, de quo certo certius constat, eum subjectum esse Regibus, quam Imperatorem Pontifici & stolidissimo Iacobo de Cadurco? At id eum urebat maxime, Pontificem subjici Imperatori Romano, nihil ei juris in electione ac dignoscenda Regis persona relinqui, unctionem ad solennia referri, nec regiam ac imperatoriam majestatem tali semper pompa indigere statui: penes Germaniæ senatum auctoritatem hac parte residere: servo servorum nihil in terrena imperia ac regna potestatis competere, quid? quod spes amplissimas avido animo conceptas in auras labi. Quæ omnia nunquam interea in contentionem venissent, nisi Cadurcensis aterrima bile laborans Germaniæ Regem cum viris sumatibus universis mittere sub capistrum statuisset: homo licet senex, alterumque pedem in cymba Charontis positum habens: non agenario enim major decessit.

§. LV.

Ac ne quis existimet, eos solum, qui evangelicæ doctrinæ addicti sunt, talia in medium ferre? etiam ex Alberto Argentinensi constat, vix mitiora a Iacobo Furnerio e moletrina ad Cistercienſem ordinem indeque ad purpuram, ac demum ad sedem Pontificiam assumto Benedicti XII. nomine, evecto fuisse prolata.

lata. Immo, inquiebat, ad Philippi Valesii & Apuliæ Regum legatos, *nos contra Ludovicum multa fecimus. Ipse sceptro cum scipione mutato venisset ad nostri Præcessoris pedes, si præcessor admisisset, neque supplicem a suis pedibus amovisset. Ego de Ludovico sperare meliora non desino.* Observet Lector, nos mentem Argentinensis exprimere, nec ipsissima ejusdem verba adscripsisse.

§. LVI.

Et mirum posteritati videri posset, quid igitur in caussa fuerit, quare hic Benedictus XII. neque cum eo redierit in gratiam, neque electorum petitis locum dederit, neque episcoporum, aliorumque sacerdotum argumenta & impensissimas preces admiserit. At qui intelligunt, quali sub jugo hic vixerit Pontifex, quas leges ei præscripserint Philippus Valesius cum Rege Neapolitano, quamque hi Principes perterrefecerint Cardinales reditus istis imminuentes, iis facile subolebit, quamobrem tum Cæsaris, tum Electorum ac totius denique imperii legationes in cassum ceciderint omnes.

§. LVII.

Ipse Ludovicus non adeo simplicis ingenii censendus est, ut non prævideritinutiles conatus. Prope enim tenebat, sæpe a se dictorum ac factorum cantatam palinodiam: quamvis reapse in omnibus nihil fuerit culpæ; addebat, ipsam innocentiam sic ream fore peragendam, summoque cum dedecore honorum atque imperii insignia ad pedes pontificis molitoris, aut pistoris videri projicienda, nullo alio fructu, quam ut sua infelix pietas fiat, suaque modestia haberetur tandem ludibrio. Quo dictum, factum. Vix enim legatorum litteræ lectæ sunt, cum simul sunt rejectæ, sicque infectis rebus recessere profani ac sacri principes totius imperii nomine. CIↃCCCXXXVIII. Avenionem missi: *Leniverе tamen invidiam*, verba nunc resipiscentis quodammodo Adelzreiteri agnosces Part. II. lib. III. n. 37. *lachrymæ, quibus perfusum Pontificis ultum legati viderunt, incertum, Ludovicumne, an se ipsum miserantis. Iam enim non statuendi modo, quæ vellet, sed loquendi etiam libertate exciderat: animi proinde sensu publicare prohibitus, hæc paucula Legatorum adorantium auribus insusurravit: Ægre sibi esse, quod Ludovico bene velle, non item benefacere posset. Constrictum se esse Regis Franciæ minis, atrociora sibi, quam nuper passus sit Bonifacius, interminantis, si cum Cæsare palam in gratiam rediret. Hæc questus, Legatos, ne violarentur, Delphino commendavit, a quo Lausannam usque ducti, suisque redditi, negarunt, æqui quicquam ex Gallia esse exspectandum. Ruberto nihilominus Palatino, qui proxime Cæsaris orator fuerat, rosa aurea Pontificæ benevolentiæ munus missa est, ne Germaniæ almam pacem desideranti nihil datum videretur.*

§. LVIII.

Itaque jam veterno quasi excitati Teutoniæ principes omnes, in que primis

mis Septemviri Rensii conveniunt, ut tandem aliquando Spirensi in conventu seriam operam patriæ promissam reapse præstarent: conquerentes interea patientiam suam contumelia finiri, nec dignitatem modo, sed ipsum etiam imperii nomen periclitari. Indignum videri, pedibus hac ratione conculcari suam auctoritatem; nec dedecus per binorum Pontificum annos, nisi mussitando hactenus lamentatam Germaniam, sero libertatis suæ memorem. Viginti & quinque elapsos jam annos esse, cum Ludovicus more majorum sit electus; & tamen inquiri & dubitari, seque ignave fere ejusmodi dubitationes tolerasse, an is imperio, quod magnifice rexisset interea, sit aptus? Quocirca rumpendum aliquando tam ignobile silentium ac memorabili ad posteritatem monumento esse emendandum, quod verecunda patientia non potuerit corrigi. Atque hos inter justissimos questus præparatis animis ad constantiam magno tandem assensu celebre illud Senatusconsultum conditum est, quod Albericus de Rosate Iureconsultus lib. III. de præscriptione triennali inservit, Hieronymus Balbus de coronat. ad Carolum V. repetiit, Rebdorfiensis Monachus recensuit, Leibnitius aliique nove imprimi curarunt, nonnullis voculis quidem diversum, sed sensu idem: quod jam celeberrimus Pfeffingerus ad Vitriarium monuit. Nos, quia de his rebus ex professo agimus, a scopo non abluſuros vix credimus, si istam imperii constitutionem etiam hoc loco legendam exhibeamus: *Licet jura utriusque testamenti manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio DEI ab antiquo processisse, & DEum per imperatorem & Reges mundi jura humano generi aperte tribuisse: & quod Imperator ex sola electione eorum ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione seu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt & nationes: & ipse Dominus noster Iesus Christus mandavit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda. Qui tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti & nullius scripturæ intelligentiam habentes, sed divertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & prava commenta, & in assertiones detestabiles prorumpentes contra potestatem & auctoritatem Imperialem, & jura imperatorum, Electorum & aliorum Principum & imperii fidelium committunt fallaciter asserentes: Quod imperialis dignitas & potestas est a Papa, & quod electus in imperatorem non est verus imperator nec Rex, nisi prius per Papam sive sedem Apostolicam, confirmetur, approbetur, & coronetur: & per hujusmodi pravas assertiones & pestifera dogmata hostis antiquus movet, jurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum de consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediate a solo DEO; & quod de jure & imperii consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem, sive Regem ab Electoribus imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex*

sola

sola electione est Rex verus & Imperator. Romanorum censendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus imperio subjectis obediri: & administrandi jura imperii, & cetera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent plenariam habet potestatem, nec papæ, sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer, vel a majori parte Electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis imperio debeat obediri, & administrationem & jurisdictionem imperialem & imperialis potestatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta, vel definita, aut aliquid eorum asserere, seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel literis, vel præceptis obedire præsumserit, eos omnibus feudis, quæ ab imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus a nobis, vel prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus, & ipso jure & facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen læsæ Majestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ Majestatis committentibus subjacere. Datum in oppido nostro Franckenfurt, die 8. mensis Augusti Anno Domini 1338.

§. LIX.

Verum tamen cave putes, hanc esse illam toto orbe & in publicis imperii legibus celebratissimam unionem, seu fraternitatem electoralem. Constat enim, Septemviros peculiariter adhuc coivisse, & ad jura sua tutanda arctissimo fœdere sese obstrinxisse, si quis forte in posterum atque in præsenti ipsorum dignitatem atque eligendi auctoritatem auderet ullo modo despicere, ac convellere. Fœderis tabulæ idiomate primum Germanico expressæ sunt, latentque illæ in Bojorum tabulario, unde eas eruditissimus Herwartus de Hohenburg depromtas in latinum convertit. Credo, hoc Bzovii Poloni aliorumque calumniatorum caussa factum, qui nostræ vernaculæ imperiti censentur. Quas quia alio sermone nusquam inveniemus, idcirco itidem latina cum Lectoribus nostris communicamus: *Nos DEI gratia, Henricus Archi-Episcopus Moguntinensis, Walramus Archi-Episcopus Coloniensis, Balduinus Archi-Episcopus Trevirensis, Rudolphus, Rupertus fratres, Stephanus Rubertus Junior, Comites Palatini Rheni & Duces Bavariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludovicus Marchio Brandenburgensis. Notum facimus cunctis hominibus, qui has litteras vident, aut legi audiunt, quod simul consideravimus & perspeximus, sacrum Romanum imperium in suis honoribus, juribus & bonis, atque etiam nos in nostris honoribus, juribus, consuetudinibus & privilegiis, quæ a prædicto imperio habemus, vehementer his temporibus, atque etiam antehac impediti, infirmati, & gravati fuimus ac sumus, & propter communem ac manifestam utilitatem totius Christianitatis,*

atque ad prædicti Imperii nostrumque honorem, jura, privilegia & consuetudines tutanda, defendendas & manutenendas, unanimiter convenimus, & nos confœderavimus; quod prædictum Imperium & nostrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperii in illius ac nostris juribus privilegiis & consuetudinibus, sicut ab antiquo ad nos, & ad Imperii Electores pervenerunt & devoluta sunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro omnibus nostris viribus ac opibus, sine fraude, contra quoscunque nemine excepto: siquidem hoc nostrum honorem & juramentum attingit; nec volumus id intermittere propter ullum mandatum, a quocunque vel quomodocunque datum, per quod Imperium & nos Electores in præscriptis rebus ullo modo infirmari possemus. Volumus etiam omnes dominos & amicos, qui ad nos pertinent, vel non pertinent, sive sint ecclesiastici, sive seculares, nostros quoque Vasallos, ministeriales, Castellanos, officiales & cives, ad idem faciendum rogare, & inducere, in quantum possumus: & ad hoc efficiendum debet quilibet ex nobis Electoribus alteri auxilium præstare sine fraude; ut illi nobis in his rebus auxilium & opem ferant, idque nullius respectu intermittant, & ob nulla mandata, a quocunque illa dari possent. Quod si contigerit, ullam dissensionem aut dubium super his rebus inter nos Electores oriri: quicquid nos tunc omnes, aut major pars ex nobis, super hoc diffiniemus & statuemus, id debet vim habere atque a nobis observari sine dolo. Omnia hæc præscripta capita, & unum quodlibet horum singulatim spopondimus bona fide, & spondemus hic præsentibus literis per nostrum principalem honorem, nec non juravimus hoc ipsum ad sanctos pro nobis & nostris successoribus perpetuo firmiterque tenere, neque contravenire, nec ab hoc desistere ullo modo, sicut in præmissis continetur & scriptum est. Non debemus, non volumus quoque, nec possumus nos, nec quisquam alius, qui nobiscum in hanc confœderationem veniet (qui jurare quoque hoc ipsum debet, & vovere, sicut in præmissis & sequentibus scriptum est) si ita depravaremur, quod DEUS avertat, ut contra faceremus, aut facere vellemus; non debemus, inquam, nec volumus, nec possumus contra juvari ulla dispensatione, absolutione, relaxatione, abolitione in integrum restitutione, neque ullo beneficio, quocunque nomine illud appellaretur, undecunque, aut quomodocunque fieret, sive per nostras, aut aliorum hominum preces, sive quod latine dicitur, ex officio: neque ulla potestate ejus, qui hæc curare vellet: apud DEum & homines futuri ac dicendi infames, infideles & perjuri, ubicunque vel quocunque modo contra faceremus aut veniremus, quovis pacto, omni fraude ac dolo à præscriptis capitibus & singulis eorum exclusis. Ad notitiam horum damus has litteras obsignatas nostris signis, quæ datæ sunt in Rense, die Jovis post Margaritæ à Nativitate Christi M CCC XXXIIX. *Anno.*

§. LX.

Nemo dubitet, placuisse tum senatusconsultum, tum etiam Septemvirorum

rum pro tutela illius legis sese colligantium gloriosissimum propositum perpluribus. Albericus de Rosate, qui id temporis in aula Romano agebat, audivisse se testatur, *magnos prælatos & laicos utriusque juris peritos* pro edicto disseruisse certatim. Neque amplius ambigo, quin ejusdem tenoris litteræ ad Pontificem Benedictum XII. sint missæ. Vidisse se illas idem Albericus memoriæ prodit. Et Marquardus Freherus vero ad Rebdorfiensem illas exhibet, in hoc solum suspectas, quod Waldemari Brandenburgici & Rudolphi Palatini nomina referant, de quibus interea constat, satis ea ætate concessisse utrumque. Quæ res fecit, ut Adelzreiterus fluctuante animo de iis pronuntiet. Sed fieri, meo judicio, facile potuit, ut, dum forte litteris initialibus scripta essent Electorum nomina chronologiæ & hujusmodi notarum imperiti litteras L. & W. commutaverint, literaque canina R. Rudolphum Palatinum significari existimaverint, cujus filii Rudolphus, & Rupertus ea ætate Palatinatum communi jure tenuere. Marchiam Brandenburgicam vero Ludovicus Imperatoris primum genitus administrabat; ita ut fere nihil, aut parum dubitationis supersit, & illas quoque in genuinarum litterarum albo esse relinquendas. Quapropter sine hæsitatione dictam epistolam adscribimus, *Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Benedicto Papæ. Vestri devoti filii, Henricus DEI & Apostolicæ sedis gratia Archi-Episcopus Moguntinus, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri imperii Archi Cancellarius: Balduinus Archi-Episcopus Trevirensis, Cancellarius Galliæ. Walramus Archi Episcopus Coloniensis, Cancellarius Italiæ: Waldemarus* (lege Ludovicus Marchio) *Marchio Brandenburgensis, Camerarius: Rudolphus* (lege & Rupertus) *Palatinus Dapifer: Rudolphus Dux Saxoniæ, portitor ensis, Romanorum Regis, & coronandi Imperatoris legitimi Electores. Gravamur non modice, & turbamur ex intimis, cum reverendam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem nostram & ipsius summos Pontifices, quibus reverentiam & honorem exhibere volumus promptis & devotis animis omni vice; ac sacrosanctum Imperium & Imperatores seu Reges ipsius quorum defensio ad nos & omnes alios Coelectores nostros præ ceteris mundi Principibus specialiter pertinere dinoscitur; sicut temporibus præsentibus, videmus ad invicem discordare. Nam ex hoc non potuerunt sibi & populo Christiano proficere, prodesse, & prout est divinitus institutum sibi mutuo suffragari. Propter quæ in diversis mundi partibus, provinciis & terris, ipsis regendas, gubernandas commissis, innumera execrabilia pericula animarum, personarum & rerum & diversa scandala in Dei Ecclesia (quod dolenter referimus) sunt suborta; & majora præsumuntur futuris temporibus, quæ ad plenum dici nequeunt, vel conscribi, certitudinaliter suboriri. quæ submoveri non possunt, nisi utraque potestas contenta sit suis juribus & consuetudinibus hactenus observatis, & reformentur, quæ una contra aliam attemptavit.*

§. 2.

§. 2. *Sanctitati vestræ cum omni devotione, & in modum, quem possumus, meliorem & humiliorem referimus bono Zelo, quod super præmissis & ad consulendum & providendum Sacrosancto Romano imperio, cujus jura, honores, bona, libertates & consuetudines prostrata jacent, & a diversis personis Ecclesiasticis & secularibus sunt & fuerunt hactenus in grave præjudicium dicti Imperii invasa, occupata, & multa simpliciter conculcata; XV. die mensis Julii anni XXXVIII. in Reinse super alveo Reni (ubi Principes Electores super negotiis imperii tractandis convenire consueverunt ab antiquo) cum aliis Principibus Electoribus Imperii in unum fuimus congregati; & diversis deliberationibus & consiliis præmissis, sicut divinæ gratiæ placuit, omnes unanimes fuimus & nullo penitus discrepante pro defensione & recuperatione jurium, honorum, bonorum; libertatum, consuetudinum sacri Romani Imperii ac totius Christianitatis, ad cujus regimen & defensionem idem imperium principaliter ordinatum dinoscitur; disposuimus & ordinavimus pro nobis & successoribus nostris, & firmavimus jurejurando, per sacramenta corporaliter à nobis & omnibus Coelectoribus nostris præstita; quod jura, honores, bona, libertates & consuetudines dicti imperii & nostra nobis in electione imperii competentia ex consuetudine vel de jure manuteneamus, defendamus & illibata conservemus toto posse, & viribus nostris, contra omnes homines cujuscunque præeminentiæ, dignitatis seu status existant, & quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum & personarum, aut præcepta, mandata, aut processus, per quemcunque modum & formam prolati sint, vel in antea proferantur contra imperium & nos, vel Coelectores nostros, per quæ dicto imperio, ac nobis & Coelectoribus nostris, in prædictis juribus, bonis, hominibus, libertatibus & consuetudinibus præjudicatum sit, vel in futurum posset præjudicium generari.*

§. 3. *Et tandem super præmisso lamentabili desiderio, & caussis originalibus, ex quibus ortum dinoscitur, quod inter sanctam Romanam ecclesiam, ac sacrum Romanum Imperium & Dominum nostrum Ludovicum Romanorum Imperatorem, jam longis temporibus diligenti & sollicita deliberatione præhabita, nos & alii Coelectores nostri cognovimus, & nobis constitit evidenter ex processibus quondam Domini Johannis Papæ XXII. prædecessoris vestri, quod ipse primo & postea sententias excommunicationis & interdicti (si sic dici merentur) ac alias diversas sententias & processus de facto contra DEUM & justitiam, & juris ordinem fulminavit, contra prædictum Dominum nostrum Dn. Ludovicum Rom. Imperatorem, ac fautores & adhærentes sibi: qui a majori parte Principum Electorum fuit rite & rationabiliter in Regem Roman. electus, in Imperatorem postea consecrandus: quod se de administratione imperii intromisit non approbata per prædictum prædecessorem vestrum ipsius electione, quam in discordia asseruit celebratam.*

§. 4.

§. 4. *Per quas sententias & processus, cum juri & consuetudini Imperii & præfato Domino nostro Ludovico, nobis & aliis Electoribus Imperii permaxime derogetur; cum jure caveatur & consuetudine, cujus contrarium in memoria hominum non existit, sit rationaliter introductum, & sine cujusvis contradictione legitime observatum, sicut etiam in prædicto parlamento per nos & alios Coelectores nostros, præhabita diligenti deliberatione & discussione ac consilio multorum Principum, Comitum, Baronum & nobilium est concorditer declaratum, & sententionaliter definitum: Quod vacante Romano imperio is, qui eligitur concorditer, vel à majori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus: Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel auctoritate sedis Apostolicæ super administratione bonorum & jurium imperii indiget, sine titulo Regio assumendo: quodque jura & bona imperii administrare & gubernare poterit, & de jure & consuetudine, nulla sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel obtenta.*

§. 5. *Quare cum Sanctitas vestra teneatur præ omnibus Regnis mundi defendere jura imperii, quod ad defensionem sedis Apostolicæ & totius fidei Christianæ est cœlitus ordinatum, & sine cujus salubri gubernatione & defensione non potest in opulentia pacis persistere Christianus populus, nec bene colere pacis auctorem; clementiæ Sanctitatis Vestræ supplicamus cum omni humilitate & reverentia, qua possumus & valemus, quatenus sententias & processus prænotatos, & quidquid exinde ob nos secutum est totaliter & penitus revocetis, tanquam in præjudicium imperii & jurium ipsius prolatos. Quæ jura illibata pro posse servare tenemur ratione a nobis præstiti juramenti, ut obinde in omni obedientia & devotione Ecclesiæ Romanæ & Sanctitatis vestræ debeamus devotioribus animis perpetuo permanere. Et ne, si secus fieret, nos & alii Coelectores nostri cum aliis Principibus Ecclesiasticis & secularibus Alemanniæ cogeremur & invenire & quærere contra eosdem processus & sententias, quamvis inviti, remedia opportuna. Super præmissis ad Sanctitatem Vestram tales transmittimus quibus in dicendis & petendis nostro nomine fidem, vestram clementiam petimus adhibere.*

§. LXI.

Etsi vero in ipso Electorum sanctissimo fœdere, nonnulla de auctoribus & nominibus eorum inque primis Bohemiæ rege Joanne occurrunt, quæ majori luce sint collustranda, statim tamen initio dissertationis nostræ monitum est, has observationes complexurum caput II. aut novam dissertationem duabus aliis comitandam. Faxit DEUS, ut & vires nobis suppetant, & interea Electorum eminentissimus ordo aliorum imperii Principum consensu & amicitia suffultus felicissime perennet.

FINIS.

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

RESPONDENTI

PRÆSES

FELICITATEM.

ETsi meo elogio ac commendatione minime eges, propriis utpote virtutibus, industria atque litterarum egregia cognitione exsplendescens; non possum tamen non publice testari, eum TE esse, cujus exemplum imitentur Juvenes alii nobili prosapia oriundi. Neque enim quisquam fere est tui ordinis, qui per quinquennium & quod excedit, in schola commoretur, immo opinantur plurimi, longiorem moram sibi detrimento fore, & solidam cognitionem rerum usui adversari. Quod sicuti à falso proxime abest; ita id inprimis operam dedisti, ut ne præsumtæ huic opinioni locum dares, sed cœpto semel tramite decurrens ipso facto ostenderes, quantum inter umbram eruditionis & doctrinam ipsam differentiæ intercederet. Neque enim vitæ discit, qui aut nihil, aut parum discit. Quin ita potius partienda videntur vitæ nostræ tempora, ut nonnihil speculationibus tribuendum sit, antequam in forum, curiam, aulam cum fructu sese conferat quisquam. Cumque a TE, quæ indicavimus, sollicite sint observata, ut qui tum in Lipsiensi Academia, tum Fridericiana nostra sapientes semper doctores sectatus es, eorum præceptis diligentissime auscultans; idcirco spes est non levis, felicissime versaturum TE aliquando in rerum actibus, quibus TE PRINCEPS tuus virtute ac prudentia vere magnus haud dubie indulgentissime destinabit. Faxit DEUS, ut, quæ PATER tuus, Vir illustris ac primarius, enixe cupit, ac tua virtus meretur, inter plausus atque acclamationes amicorum, faustissime consequaris. Halæ Magdeburgicæ ipsis Kalendis Novembris CIↃ IↃ CCXX.

XI.

DISSERTATIO

DE

CURIIS SUPERIORIBUS IN GERMANIA,

Von

denen Oberhöffen in Teutschland/

PRÆ-